Halberstadt, Abrahamus
Disputatio historico critica
de Imperatoris Domitiani

A. HALBERSTADT.

DISPUTATIO HISTORICO CRITICA

DE IMPERATORIS DOMITIANI MORIBUS ET REBUS.

DISPUTATIO HISTORICO CRITICA

DE IMPERATORIS DOMITIANI

MORIBUS ET REBUS.

DISPUTATIO HISTORICO CRITICA

DE

IMPERATORIS DOMITIANI

MORIBUS ET REBUS,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI VAN HERWERDEN,

LIT. HUM. DOCT. PHIL. THEOR. MAG. ET IN PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. FAC. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM
DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

ABRAHAMUS HALBERSTADT,

AMSTELAEDAMENSIS.

d. XVI m. Martii a. MDCCCLXXVII, Hora III.

AMSTELAEDAMI,
APUD BINGER FRATRES.
MDCCCLXXVII.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

Et more et amore ductus hac opportunitate uti mihi liceat, ut gratias agam patri, primo loco ponendo; Rectori praeceptoribusque Gymnasii Amstelaedamensis, qui mihi studiisque meis quam maxime profuerunt puerumque me elementis disciplinarum ita imbuerunt, ut fortasse non sine fructu lectiones Academicas sequi possem clarissimorum virorum, quorum laudes dicere supra meas vires est. De NABERI *vero doctrina, sedulitate, comitate, qui meis condiscipulorumque in Athenaeo studiis semper vacat et a quo nunquam abimus, nisi doctiores, tacere non possum. Nec minus tuae, Rector Magnifice Academiae Ultrajectinae, benevolentiae erga me, neque tuae, Clarissime Promotor, curae, unquam immemor ero.*

PROOEMIUM.

Studiorum specimen editurus, animum induxi, ostendere, eos, qui Imperatoris Domitiani res scripserunt, primam historiae legem, quam nemo nescit esse, ne quis quid falsi narrare audeat, violasse. Allectus fructibus laborum, quos ceperunt viri doctissimi, qui omnem curam in eo collocaverunt, ut de Tiberio et de Nerone Caesaribus homines integre ac tranquille judicarent, fontes adii eosdem, quos Imhoffius (quem solum his postremis annis vitam Domitiani conscripsisse cognovi), quibus nonnulla monumenta Flaviae aetatis addere mihi contigit. Itaque libris perlectis, quos Stahr, Sievers, Merivale, Schiller, inter nostrates Naber, Karsten, V. V. D. D., ut id, quod diximus, consequerentur, composuerunt, inter se comparavi res, quas antiqui scriptores de Domitiano prodiderunt, quorum series est haec.

M. Fabius Quintilianus (35—95), Calagurritanus, ex Hispania, Romae disciplinas prosecutus, ex eloquentia nobilissimus, Flaviorum et amicis et adversariis aestimatissimus. Omnia optima apud illum de moribus atque de humanitate

Domitiani legimus. Ut semper judicium de viro Quintiliano honorificentissimum fuit, sic nemini unquam in mentem veniet dubitare, num vera Quintilianus corruperit. Si hic illic Imperatoris laudes dixerit, gratum se praestitit Quintilianus pro beneficiis acceptis proque tutela artium suarum, aut cessit aetatis moribus. Inter patronos fuit et Flavius Clemens, Domitiano postremis annis infestissimus, post cujus interitum Caesar oratori non minus favebat, cui et antea singularem honorem consularium ornamentorum tribuerat juvenesque successores sui educandos tradiderat, unde invidiosi Iuvenalis versus orti sunt. „Si fortuna velit, fies de rhetore consul" (VII, 197) et (186). „Unde tot Quintilianus habet saltus?"

Sex. Julius Frontinus (40—103), vir antiquorum morum reique bellicae peritissimus. In libris suis, qui supersunt, „Strategematicon," et de „Aequaeductibus urbis Romae", Domitianum ducem et dominum laudat et sine ambagibus res bene gestas Caesaris, quibus ipse interfuit, memoriae tradidit. Fuit vir princeps et spectatissimus, nullius adulationis incusandus, ab aequalibus suis maximi habitus, justissimus omnium, qui de Flaviis memoriae prodiderunt. Praetor urbanus fuit 70 p. C., comes Caesaris in Gallia, expeditione in Britanniam non sine laude notus. Item contra Chattos pugnavit cum Domitiano, sub quo ut sub Nerva consul, curator aquarum cum Trajano, Plinium in auguratu praecessit.

C. Cornelius Tacitus (52/4—117), Interamnae, ut fertur, natus, anno aetatis vicesimo quinto quaestor, vicesimo septimo Tito moriente aedilis aut tribunus plebi, tricesimo quinto, secundo Domitiani principatus anno, praetor. Artem oratoriam jurisque prudentiam excepit ex ore clarissimorum iis artibus virorum, ut fuerunt M. Aper et Julius Secundus, ad quorum semotas disputationes etiam admittebatur. Anno 77 p. C. uxorem duxit Agricolae (tunc consulis suffecti) filiam, qui paullo post in

Britanniam profectus ab ea expeditione, anno 87, revocatus est et Romae, anno 93, decessit. Tacitus, anno 88, quindecimvir ludis secularibus a Domitiano conditis praefuit, et legionis legatus 90 p. C., nisi fortasse jam ante praeturam eo munere functus fuerat, legatus pro praetore in provinciam Caesaris Urbem reliquit, nec rediit morte soceri accidente 93 p. C.

Domitiano mortuo Nervaque Imperium adepto novum vitae genus Tacitus iniit et consul suffectus historiis scribendis se totum dedit. Laudationem habuit Verginii Rufi, et cum Plinio conjunctus Africanis auxilio fuit, qui Marium Priscum proconsulem repetundarum apud recuperatores, deinde de vi apud Senatum accusaverant. Paullo ante mortem divi Trajani libros, qui „ab excessu divi Augusti" inscripti sunt, edidit. Hae fere sunt res e vita Taciti, de quibus constat. Ex amicis ejus praecipui sunt notandi Fabius Justus, cui „dialogum de Oratoribus," qui fertur Taciti esse, dedicavit, Asinius Rufus et Plinius, qui cum eo omnia communicavit, quae in lucem editurus erat, saepiusque una vocantur Plinius atque Tacitus, ut summae eloquentiae doctrinaeque viri. Nondum grandi aetate magnam gloriam adeptus oratoriae artis eloquentiaque florens „dialogum de Oratoribus" scripsisse videtur et edidisse sub Tito, fortasse vero extremis annis Domitiani imperii, nam sub hujus initio non certum est, an quid scripserit edideritve, et certe quievit per quindecim annos insequentes. Paullo post Caesaris mortem „Agricolam" librum edidit, quem secutus est liber „Germania." In Agricolae libro §§ 2 & 3 Tacitus aperuit, se animum induxisse, ut memoriam imperii Domitiani et Trajani initium posteritati traderet. Legimus enim: „memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere . . . Pauci et uti dixerim non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus exemp-

tis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus . . . Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse." De iis rebus, quae in Agricolae libro memorantur, et suo loco et in epimetro disputabimus; hic satis sit dicere „haud exiguam partem admirationis Agricolae debitae ad ipsum Tacitum pertinere, qui animo atque ingenio soceri haud dispar et, qualis ille esset, penitus sentiret atque perspectum haberet, et egregia scribendi arte facta moresque ejus posteritati traderet" [1]).

Historiarum libros quatuordecim composuit de rebus gestis ab anno 69 usque ad 96 p. C. Post alteram libri quinti partem, cujus momenti res memoratae fuerint, incertum est, quum apud ceteros scriptores nulla fere magna res narretur. Ex iis libris, quos adire licet, apparet, Tacitum Flavios, quamquam oblique, acerrime carpsisse (Cf. *Hist.* IV, 2, 39, 40, 51, 52, 68, 85, 86) breviterque de iis sententiam tulit *Hist.* II, 1. „Struebat jam fortuna . . . . vel exitio fuit."

Est idem atque in Annalibus contemtor hominum, qui inferiore loco nati sunt; odit eos, qui patientiam servilem lubenter exercent, minimeque sibi constans, neque laudat libertatis propugnatores, neque ex animo assentitur sententiae Eprii Marcelli „bonos Imperatores voto expetere, qualescumque tolerare;" perstringit vitam segniter transeuntes. Multoque mitior est Tacitus in libris „ab excessu divi Augusti", quam in Historiis, quod tam senectuti quam melioribus temporibus, quibus illam partem operis scripsit, tribuatur.

Materiem ei praebuerunt ad componendos Historiarum libros Plinius aliique principes inter aequales viri, Cluvius, Vipstanus Messalla, *Hist.* III, 9, 11, 18, 25, 28. IV, 42, qui legioni

[1]) P. Corn. Tacit. *Agricola*, ed. F. Kritz, *Prolegom.* p. 21.

tribunus atque nobili genere magni a Tacito ducitur, Suetonius Paullinus, Muciani commentarii, L. Cornelius Sisenna (*Hist.* III, 51). Multis locis tacet nomina auctorum, ut *Hist.* II, 37, „invenio apud quosdam;" *Hist.* III, 22 „quamquam alii tradiderint;" 29 „inter omnes auctores constat;" 51 „celeberrimos auctores habeo;" 54 „quidam tradunt;" *Hist.* V, 2 „sunt qui tradant;" 3 „plurimi auctores consentiunt;" (6 & 7) „sic veteres auctores; sed gnari locorum tradunt." Alii fontes, e quibus Tacitus pleraque, quae in Historiis prodidit, haurire potuit, sed quos nescio an extra Romam res componenti necdum gloriam historici scriptoris, qua post floruit, adepto, patuerint, fuerunt: Commentarii principales *Hist.* IV, 40; Fasti, Edicta Principum, *Hist.* III, 73; Tabulae publicae, Senatusconsulta, *Hist.* I, 78; II, 62; IV, 45; litterae, vel ab aliis ad alios missae, vel in Senatu recitatae, *Hist.* III, 53, alii. Fidem monumentorum Tacitus se exploravisse indicat, *Hist.* IV, 40, ubi Fastos adulatione foedatos esse queritur, *Hist.* II, 37, 101; III, 29, 51, 54. Dissensum vel consensum scriptorum memorat, alia rumore et fama jactata refutanda esse, *Hist.* V, 6; ambigua et fabulosa *Hist.* II, 9, 42, 50, IV, 47, 49. Ipsa Imperatorum aliorumque verba referuntur, *Hist.* III, 39, et saepius Auctoris judicium in rebus dubiis accipimus, *Hist.* I, 42, II, 37, 73, 100, 101. III, 22, 56, V, 7 (cf. Plin. *Ep.* VI, 16 & 20). De fide, qua Tacitus fontibus usus sit atque de modo, quo res exposuerit, disputaverunt jam primi Ecclesiae scriptores, et nunc etiam sub judice lis est. Multae res et multi homines a Tacito notati vel laudati etiam aliunde noti sunt, et hoc vidisse videor, eos non falso sentire, qui Tacitum dicant juvenem nimis rigidum fuisse Imperatorum hominumque illius aevi censorem, et (fortasse invitum) nonnulla tyrannorum facta adulterasse suspicionibus aut in deteriorem partem traxisse.

C. Plinius Caecilius Secundus (62—113), Comensis, multis muneribus functus est, sub Domitiano consulatu, sub Trajano legatione Bithyniae. Saepius causas dicebat pro centumvirali judicio orationesque nonnullas sub Nerva edidit. Panegyricus ejus ad Trajanum, lectorem defatigans loquacitate et tumore verborum, invidiae plenus est in principes, qui ante Trajanum fuerunt. Itidem ex epistolarum libris decem animum scriptoris cognovimus, qui iis se celebratum vellet; verum inter aequales jam vituperatores sui scribendi generis habuit. Fuit praeterea ditissimus, doctissimus, historiarum disciplinis insignis. Post caedem Domitiani libellos edidit de Helvidii Prisci, amicissimi sibi, Caesaris adversarii, ultione. Omnes fere, qui apud Plinium vocantur, tam viri quam feminae, honorifice memorantur, excepto Regulo, Javoleno Prisco, (perpaucis locis) Domitiano; ceterorum, qui vituperantur, nomina suppressa sunt. Philosophorum atque oratorum, qui Romae vitam degentes salvi tempora evaserint, numerum magnum fuisse, ex epistolis Plinii novimus.

C. Suetonius Tranquillus (75—160), muneribus functus sub Trajano, et inter aulicos Hadriani, ut narrat, fuit magister epistolarum, sed minus honeste se gerens, inde remotus, totum se dedidit litteris Varronemque imitatus est, variis disciplinis incumbens, in primis arti grammaticae. Operi „de viris illustribus" adhaerent Vitae duodecim Caesarum. Quorum, sine ratione temporum, res gestae componuntur, et silentio fere transeuntur ea, quae ad bella pertinent. Sed ceteris multo brevius et negligentius conscriptae sunt Flaviorum vitae, quorum facta moresque nude et presse Suetonius contexuit.

Flavius Josephus (37—?) anno 93 p. C. librum vicesimum composuit Antiquitatum. Honesto loco natus, anno vicesimo sexto aetatis Romam venit, et in libris de Bello

Judaico et in Vita, a se descripta, pauca quaedam de Domitiano honoris causa memoravit.

Plutarchus Chaeronensis Boeotius, natus 50 p. C., Romae saepius moratus, magister fuit Hadriani, sub quo, ut sub Trajano, officiis publicis honoribusque floruit. Per omnia sua opera prodidit, se civitatem liberam summam aestimasse plenumque odii in dominam terrarum orbis fuisse. E paucis rebus, quas de Domitiano vitae Poplicolae inseruit, cognovimus, eum non bene tempora statumque rerum intellexisse.

Accedunt iis, quos nominavimus, poetae.

C. Silius Italicus (25—101), qui sub Domitiano epicum suum carmen de Punico bello secundo pepigit, post consulatum et studia oratoria „laudabile otium" agens et litteris deditus. Sub Nerone, qui eo consule periit, famam laeserat ex delatione, ut credebatur; postea Vitellio amicus sapienter se et comiter gessit. Fuit sub Domitiano inter principes civitatis sine potentia, sine invidia; novissime sub Trajano ita suadentibus annis Urbe cessit seque in Campania tenuit, ubi, aetatis anno 75, mortuus est. Silius Domitianum Imperatorem laudibus tollit supra patrem fratremque (in qua re saepe cum Martiale consentit). Non sine adulationis suspicione est recentiorum judicio; non veterum, inter quos Plinius, qui de eo mortuo epistolam (III, 7) Caninio suo misit, poëtam plurimi aestimavit.

P. Papinius Statius (45—96) Thebaidem composuit duodecim, Silvas quinque libris. Juvenis Neapoli certaminibus poeticis praemia ferens, Romae Thebaidis partes recitavit Albanamque coronam sub Domitiano vicit, sed minus felix Capitolinis certaminibus in Campaniam se contulit. A Martialis mendacitate liber est, nec videtur pauper fuisse; patronorum et amicorum inter aequales satis habuit; ex quibus Earinum, delicatum et eunuchum Imperatoris, fortasse

plus aequo laudat. Ipsum Caesarem pro deo fere habet cujusque consulatum septimum decimum celebravit (Silv. IV, 1.), ejus res gestas carmine epico celebrare in animo habuit: initia autem tantum inventa sunt. Vituperatores inter antiquos paucos, imitatores plures Statius habuit.

M. Valerius Martialis (42—102.), Hispanus, equestris ordinis, Romae vixit triginta quatuor annos, unde, quum Nerva imperium adepto novae res ei minus faverent, in patriam rediit. Libris quindecim Epigrammaton exposuit foedos atque abjectos mores hominum sui temporis saepiusque vilissima quaeque sine ambagibus. A Tito donatus est jure trium liberorum, a Domitiano etiam dignitatem tribuniciam villulamque obtinuit. Complures patronos laudatoresque sibi vinxerat, quorum Parthenius, Crispinius, Earinus, alii ex aula Caesaris praecipui fuisse videntur. Certat cum Statio, quocum saepius una erat, verum cujus nomen silet; alios ob studia illustres viros laudat. Commune est illi cum Silio, quod Domitianum supra divos Vespasianum Titumque tollit falsoque certe libertatem, quae sub illo viguit, celebrat. At mentitum fuisse aut finxisse Martialem omnia, quae de Caesare laudis causa dixit, non crediderim, quum libri, illi dedicati, quintus, octavus, quartus paene totus, pudicitia atque verecundia ceteros superent. In libris, post Domitiani caedem editis, in decimo, in undecimo, in duodecimo semel bisve, novis temporibus cedens, eum tangit. Ceterum, ut Silius, ne mortuis quidem pepercit. Non sine dolore Plinius Martialis mortem accepit, ut legimus in Epistola, qua laudes poetae atque amici prosecutus est (III, 21). Apud alios quoque aequales sui Martialis optima fama floruit. Cum poetis Ovidio et Vergilio colla um legimus apud Aelium Spartianum, *Helius Verus*, c. 5. § 9. Nimiae vero foedaeque adulationis recentiores eum accusaverunt, non satis tempora respicientes.

D. Junius Juvenalis (47—130), Aquinas, post militiam et officia rhetorica, satiras edere coepit, mores depravatos Romanorum perstringens. Vivos homines paucis exceptis non arripuit, e mortuis tantum improbos, quorum similes sua aetate exstabant quorumque nomina non celat. De parte satyrarum, quae ad vitam Domitiani spectat, suo loco dicemus. Exul mortuus est, sed incertum in Aegypto, an a Trajano missus cum exercitu in Britanniam, ut ibi interficeretur.

Primarius fons igitur, praeter Suetonii vitam, qui contineat res Domitiani, non est. Inter posteriores scriptores est:

Cassius Dio Coccejanus (155—230), Nicaeae in Bithynia natus, consul bis, per decem annos, ut fertur, collegit materiem, quam elaboravit insequentibus duodecim. Optime novit historias et antiquitates Romanas, sed nimis acre et severum, neque semper sine studio, judicium fert de viris illustribus. Libri autem sexagesimi septimi, qui res Domitiani continet, excerpta tantum, a Xiphilino monacho ex seculo undecimo facta, ad nos pervenerunt. De illorum dissensione in multis rebus, ab aliis scriptoribus memoratis, suo quoque loco dicemus. Et Xiphilinum aliumve fragmenta aliorum Dionis historiis inseruisse apparet ex iterata narratione nonnullarum rerum.

Flavius Philostratus major, Lemni natus secundo seculo exeunte, tertio ineunte, Romae vixit et pro eloquentissimo suae aetatis viro habebatur. Omnibus nota est ejus Vita Apollonii Tyanensis, jubente Julia Domna, Septimi Severi, apud quem magnam vitae partem degebat, uxore, composita e libris Damidis Ninivitae, Maximi Aegeatis, Moeragenis. Testamentum Apollonii ad manum fuisse e parte quadam operis elucet. Ceteris vero libris, nugarum, narrationum, errorum geographicorum atque chronologicorum plenis, nemo fidem habere potest in rebus dubiis Caesarum, qui post Neronem fuerunt.

Eutropii breviarium et Aurelii Victoris epitomae, composita quae videntur in usum scholarum, Eusebii chronicon aliaque breviaria nova non afferunt ad ea, quae apud Suetonium aliosque, quos memoravimus, legimus.

Labor fere improbus est, omnia vera de Domitiano edicere, nam: 1⁰ consensus inter duos tresve, qui scripserunt, non exstat; 2⁰ temporum ratio fere non habita est; 3⁰ scriptores verbis et dicendi genere, quibus unicuique dubium moveatur necesse est, usi sunt; 4⁰ nomina hominum, quae desideramus quam maxime, omissa sunt; 5⁰ rumores et sermones, prodigia et portenta pro rebus factis tradita sunt, quae saepius eo se produnt, quod naturae rerum aut indolis humanae repugnant; 6⁰ nonnullae res ex aliorum imperatorum temporibus ad Domitianum translatae sunt; 7⁰ fontes scripti discrepant ab aliis monumentis; 8⁰ ex aequalibus Caesaris, qui pedestri sermone scripserunt, unus Plinius, qui contra consensum ceterorum omnia fere Domitiano in malum vertit, Romae vixit; 9⁰ quo serius quis scriptor vixit, eo majora mala divulgavit; 10⁰ Quintiliano, Frontino, Josepho exceptis omnes pedestri sermone qui scripserunt, omnia mala; poetae praeter Juvenalem, cujus jocus Philoxeni poëtae jocum in aula Dionysii tyranni sapit, optima quaeque de Domitiano divulgarunt. Praeterea commune est omnibus, vitam publicam a privata Caesaris vita non secrevisse, et magis delectandi quam docendi causa animos lectorum scripsisse, quos sibi allicerent narrando magna, nova, incredibilia, quum in Domitianum mortuum immodica et intempestiva libertate plerumque uterentur. Quae omnia imagine principatus Domitiani oculis animisque lectorum subjicienda me satis comprobaturum spero exemplis argumentisque, ad componendum opusculum adhibitis.

I.

DE JUVENTUTE DOMITIANI.

T. Flavius Vespasianus uxorem duxit Flaviam Domitillam, ante nuptias delicatam Statilii Capellae, equitis Romani Sabratensis ex Africa, a cive Ferentino, quaestorio scriba, Flavio Liberali genitam, et illo asserente civem Romanam pronunciatam, ex qua filios suscepit Titum, decemque annis minorem Domitianum et filiam Domitillam, quae non diu vixit [1]. Quum paullo post hanc natam mater obiisset, revocavit Caenidem, dilectam quondam suam, in contubernium. Post aedilitatem Vespasianus pauperrimus fuisse videtur: sordidis aedibus, cubiculo vero perparvo et obscuro prope Septizonium, [2] Titus primam lucem aspexit; sed postea Vespasianus tantis officiis honoribusque functus est, ut in aedibus [3] Regionis VI, in parte Urbis bona, ad Malum Punicum, in alta Semita in monte Quirinali, alter filius nasceretur. [4]

> Hic steterat veneranda domus, quae praestitit orbi,
> Quod Rhodus astrifero, quod pia Creta polo.

Anno 51 p. C., [5] quo Domitianus natus est, pater fuit consul

[1]) SUET. (ed. Teubn.) *Vesp.* 3. [2]) SUET. *Tit.* 1. [3]) BECKER, *Röm. Alterthüm.* I, 713, [4]) MARTIAL. (ed. Teubn.), *Epigr.* IX, 20. [5]) DIO (ed. Sturz.) LXVII, 18. cf. SUET. *Dom.* 1. BEULÉ, *Titus et sa dynastie*, pag. 248, annum 52 scripsit.

designatus, mense insequenti honorem initurus, quem per duo novissimos menses anni gessit, et per totam filii pueritiam extra Romam fuit, nam occupatus curis et laboribus bellorum, quae gerenda ei commissa erant ab Imperatore Nerone, et per tumultus annorum LXIX et LXX inter Galbam, Othonem et Vitellium in Judaea mansit, Titum participem gloriae fere semper secum ducens. „Mox Sexagenarius bellum armaque et procul vel juxta sitas vires circumspectans" [1]) ausus est Imperium orbis terrarum affectare, quod prodigia somniaque frequentia portendisse ferunt viro, cujus ambitionem ipse Nero timuisse videtur. [2])

Quamquam enim profitebatur Vespasianus, sibi filiorum gratia, quibus fideret maxime, imperium suscipiendum esse, tamen et ambitio non afuit. Cupiditas principatus illi cum utroque filio communis fuit, et quicquid scriptores rerum antiquiores recentioresve dicunt, non multum hac in re Domitiani mores a patris fratrisque moribus distabant, et satis magnam naturae et vitae similitudinem pater et filii ostendebant.

Dum autem Vespasianus summis curis belli occupatur Titoque adjutore magnam gloriam reportat, prohibebatur, quominus filio minori consuleret. Quamobrem hunc curis fratris sui, Sabini [3]) reliquerat, qui „in vitae fine segnis" Domitiano minime omnia tribuit, quae juveni nobili genere nato opus erant, neque educationi diligentiam, observationem, liberalitatem adhibuit, quas juvenilis aetas desiderabat. In penuria Domitianus juventutem agebat, in scholis publicis docebatur. Postea frequentabat et cognovit homines omnis generis omniumque ordinum, tam divites „qui Scauros simulant et Bacchanalia vivunt",

[1]) Tacit. (ed. Teubn.) *Hist.* II, 74. Cf. Philostr. (ed. Teubn.) *Vita Apol. Tyan.* V, 27. ὡς ἐνθύμιος μὲν αὐτῷ ἡ ἀρχὴ γένοιτο. [2]) Dio. LXVI, 1. Suet *Vesp.* 5, 6. Flav. Jos. (ed. Richter). B J. I, 597 et passim.
[3]) Tac. *Hist.* III, 75.

quam „pauperes cerdones". Frequentabat tam philosophorum consilia atque Stoicorum scholas, quam eorum domos, qui eum corrumpebant et inducebant ad impudicitiam, et primae adulescentiae egestas eum eo adduxit, quippe „qui nullum vas argenteum in usu haberet", ut pluribus morem gereret [1]).

Multi narraverunt (quod Suetonium fama accepisse e verbis „*Satis constat*" perspicitur), Clodium Pollionem, in quem Nero poema satyricum composuisset, chirographum conservasse, per quem Domitianus sibi noctem pollicitus esset. Neque defuerunt, qui et Nervam, successorem Domitiani, eum corrupisse affirmarent. Sed, quamquam mores aequalium obstant, quominus credamus, Domitianum ab omni amoris ludo abstinuisse et juvenis minime accusandus erat vitiorum, quae ei quasi innata erant, quum libido et voluptas tam Vespasiano quam Tito propriae essent, tamen e rumoribus, quales fuisse Suetonius res narratas designavit, multa falsa eum veris quibusdam addidisse, mihi persuasum est propter ea, quae et de juvene et de viro Domitiano narrantur, et propter verba Taciti *Hist.* IV, 40. Certum est, juvenem se commendasse statura procera, vultu modesto, pulchritudine et decentia, verecundia oris, — maxime in juventa; in edendo et in bibendo semper moderatissimus fuit, robusti corporis, integra valetudine ac sanitate utebatur, quae omnia raro sequuntur juventutem, in luxuria et rebus amoris foedissimis actam. Inspicienti monetas gentis Flaviae [2]) aut imagines statuarum apparebit Domitiani facies, in qua virtutis et honestatis vis quaedam spirat atque expressa est, multo patris fratrisve facie honestior, gravior atque dignior, suumque pudorem multo majorem fuisse quam illorum, ipse ostendit, [3]) manum praebens

[1]) Suet. *Dom.* 1. Aurel. Victor (cura Arntzen.) *de Caes.* XI. § 1. *Epit.* XI. [2]) Apud Grässe, Enchiridion Numismatices, et in collectione imaginum e Louverii Museo. [3]) Suet. *Dom.* 12.

„patris concubinae, ex Istria reversae" osculumque offerenti, eam non honore dignam aestimans, quo justa uxor et materfamilias affici solebant.

Omnibus modis bonam valetudinem curabat, lavabat de die, prandebat ad satietatem, ut non temere super coenam praeter Matianum malum et modicam in ampulla potiunculam sumeret; convivabatur frequenter et large, sed paene raptim; certe non ultra solis occasum, nec ut postea commissaretur, nam ad horam somni nihil aliud quam solus secreto deambulabat [1]). Pulchritudinem suam diligenter conservabat, sed non ita, ut jactatio decori corporis ei cum aequalibus communis esset. Quum adolescenti capilli excidissent, amicum quendam consolatus est suo casu per libellum, quo versum Homericum inseruerat (*Ilias:* XXI, 108) „Οὐχ ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε," et inter alia haec addidit: „Eadem me tamen manent capillorum fata et forti animo fero comam in adolescentia senescentem; scias nec gratius quicquam decore nec brevius." Sed non aequo animo ferebat alios ignaviter jocantes de iis rebus. In suam contumeliam vertebat, si cui alii per jocum vel jurgio objectaretur de calvitio, et non ignarus, quanti Romani formosam faciem aestimarent, quondam apud senatum jocose jactavit: „Usque adhuc certe animum meum probastis — et vultum" [2]). Saepius ipse de alius cujusdam vanitate jocatus est, ut de Metio Pomposiano, quem vanitas perdidit, aliquando lepidissime: „Vellem", inquit, „tam formosus esse quam Metius sibi videtur:" nec infestive cujusdam caput varietate capilli subrutilum et incanum „perfusam nivem mulso" dixit [3]).

Etsi pauca de educatione Domitiani narrantur, tamen pro certo dici potest, juvenem studuisse rhetoricae, philosophiae, grammaticae. Nam primum, quoties cum publice disseruisse

[1]) *Ibid.* 21. [2]) *Ibid.* 18 [3]) *Ibid.* 20.

comperimus, minime rudis fuit et „sermonis non inelegantis"; tum Sabinus, praefectus urbi et penes quem decus domus Flaviae, meliore conditione fuit, quam ut eum non puduisset juvenis omnino inculti. Denique Suetonius loquitur de condiscipulis; sed fortasse a Tito, qui in aula simul cum Britannico educatus erat, Domitianus superabatur [1]). Quum status rerum magis faveret, poëticen quoque coluit aliasque artes liberales interque eas in primis artem politicam, sed quod distincte scripsit Suetonius, eum praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris *nihil* lectitasse [2]), posteriori tempore male conjectum fuisse mihi videtur, quod Domitianus totus ad hujus exemplar institutus putaretur. Nam quum sub Vespasiano, ut dicebant Romani, emergere coepissent e malis, quae inde a Tiberio initium cepissent, metuerentque, ne Domitiani severitate ea redirent, nihil simplicius fuit explicatione: illum se totum ad hujus arbitrium finxisse, et quicquid mali de Tiberio fertur simulque in descriptione Domitiani morum reperitur ex hac opinione ducendum est [3]). Domitianum autem acuti ingenii fuisse Suetonius ostendit [4]), satisque eruditum lectione poetarum, Homeri, Vergilii, apud eundem scriptorem legimus, quamquam haec ejus studia tantum simulata fuisse dixit. Multis denique artibus Domitianum imbutum fuisse nemo negare ausit.

[1]) MERIVALE, *Hist. of the Romans* VII, 318. [2]) SUET. *Dom.* 20. [3]) Cf: KARSTEN, de *P. C. Taciti fide in sex prioribus Annalium libris*, pag 8. ALB.: IMHOFF. *Titus Flav Dom.* p. 23. scripsit: „Wenn wir später den Kaiser als einen wissenschaftlich gebildeten Mann finden, so verdankt er diesz seinen unfreiwilligen Studiën, unter der Regierung seines Vaters." Sed secundum eundem (p. 84) „besasz der durch Studiën gebildete Kaiser auch Kunstsinn und Interesse für Architektur und liesz nicht allein neue selbständige Versuche in dieser Kunst anstellen, sondern er kümmerte sich vielleicht sogar um Verbesserung und grössere Zweckmässigkeit des Materials. [4]) Cf. SUET *Dom.* 7, 8, 9.

II.

DOMITIANI RES POST VICTORIAM FLAVIORUM.

Undevicesimo aetatis anno Domitianus una cum Sabino, quocum conjunctissime vivebat, calamitatibus belli Vitelliani implicitus est. Multo labore et fortuna, quae non minus saepe quam ratio Flavianis ducibus adfuit, Vespasiani exercitus Antonio duce Romam prope venerat. „Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere, et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valetudinem causabatur. Domitiano aderat animus, sed custodes a Vitellio additi, quamquam se socios fugae promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius respectu suarum necessitudinum nihil in Domitianum atrox parabat" [1]). Vitellii vero male gestis rebus „tamquam omnis respublica in Vespasiani sinum cecidisset, primores Senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere"; sed „circa lacum Fundani descendentibus qui Sabinum comitabantur armatis occurrunt promptissimi

[1]) Tac. *Hist.* III, 59.

Vitellianorum, modicum ibi proelium improviso tumultu sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit, mixto milite et quibusdam Senatorum equitumque, quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere [1]). Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit; eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium [in Capitolium] accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret" [2]).

Simul ad Vitellium misit Cornelium Martialem cum mandato et questu quod pacta turbarentur, quique inter multa, quae Vitellio suaderent ut pacem concordiamque restitueret, diceret: „si conventionis paeniteat non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem — quantum occiso uno sene et uno juvene profici?" — [3]) Sed vix regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor, petitur saxis tegulisque ab iis, qui in Capitolio inclusi erant, faces in prominentem porticum jacet, inque porticus aedibus appositas lapso igne Capitolium conflagravit [4]). Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt, oneratum catenis cum Attico Consule ad Vitellium ducunt; tum confossum conlaceratumque et abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. Secundiore fortuna usus est Domitianus. Nam prima irruptione apud aedituum occultatus, sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum im-

[1]) Qui de Taciti fide disputant hunc locum sibi notent. [2]) Tac *Hist.* III, 69. Verba inclusa abundant post *eoque*. Cf. Dio. LXV, 17. „*κανταῦθα τὸν Δομιτιανὸν.. μεταπέμπεται*" [3]) Tac. *Hist.* III, 70. [4]) *ibid.* 71. Philostr. *Vit. Ap.* V, 30. Apollonium narrat incendium Capitolii multo prius vidisse quam si in ipsa Aegypto incendium fuisset!

mixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem juxta Velabrum delituit [1]. „Mane Isiaco celatus habitu, quum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem, comite uno, Sabino, avunculi filio, contulisset, ita latuit, ut scrutantibus qui vestigia subsecuti erant deprehendi non potuerit" [2]. Sic Domitianus, „*μεγίστη μοῖρα τῶν εἰς τὸ κρατεῖν ἐλπίδων . . . . . δαιμονιώτερον διασώζεται*" [3], et grato in deos animo, postquam pater rerum potitus est disjecto aeditui contubernio modicum sacellum Jovi Conservatori aramque posuit casus suos in marmore expressam; mox imperium adeptus, Jovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit. Monetis quoque memoriam illorum temporum, in quibus imago sua Isiaco habitu impressa, renovavit.

Fortuna secunda et peritia belli duces Vespasiani progrediebantur; cives mutuas victorias quasi ludum quendam adspiciebant, et tamquam omnis amor patriae, omnis humanitas animis excessissent, volgus caedes et rapinas persequebatur. Tandem mors Vitellii finem fecit tumultus. „Praecipiti in occasum die ob pavorem magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex Urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari Senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum, miles frequens utque erat in armis in paternos penates deduxit" [4].

Quamquam marmor, in quo Domitianus res, quas praesertim e Taciti libris enarravimus, inscripserat, in publico collocatum fuit, tamen Dionis Cassii epitome paullum differt a Taciti rerum expositione [5]. Nequaquam vero ea diligentia, qua Tacitus omnia, quae ad bellum pertinebant, exploravit, Dio narrat, Mucianum in Urbem venisse omnibus jam confectis;

[1]) Tac. *Hist.* III, 74. [2]) Suet. *Dom.* 1. Cf. Dio. LXV, 17. [3]) Flav. Ios. *Bell. Iud.* IV, 11 § 4. [4]) Tac. *Hist.* III, 86. [5]) LXV, 22.

cum Domitiano cetera coepisse administrare et ipsum produxisse ad milites, ut apud eos, quamvis puerulus, (παιδίσκος) concionaretur, additque, vicenas quinas drachmas singulis militibus datas esse. Quod non est veri dissimile, idem enim et saepius et Domitiano rerum potito accidit. Verum ordinem rerum a Xiphilino corruptum esse Tacitus aperuit [1]), docens Mucianum Urbem ingressum esse, postquam Domitianus sedem Caesaris accepit, illi amicisque ejus honoribus jam decretis.

Sic juvenis, qui usque ad id temporis in egestate vixerat rerum, quibus aequales et amici fruebantur, ad summum fortunae fastigium venit, Flavia gens ad summum potentiae, et tam ob fortitudinem quam ob saevitiam Flaviorum militum nemo iis resistere ausus est. Quid mirum, si juvenis, postquam patruum occisum corpusque ejus turpissime abjectum, sacerrimum aedificiorum incensum et direptum, Imperatorem P. R. inopem nudatumque praesidio interfectum, sanguinem nobilissimorum virorum, ex quibus pauci tantum a clientibus auxilium petentes effugerant, circum se effusum, se unum e tantis periculis auxilio deorum salvum vidit, fecit, quod unusquisque fecisset ea aetate Romae, et quod Tacitus excusat verbis „nondum ad curas intentus, stupris et adulteriis filium principis agebat" [2]).

Acerbiora et sine ulla excusationis mentione sunt verba Suetonii „contrectatis multorum uxoribus" [3]), quibus vero verbis, quum nomen ullius, nisi justae uxoris, non additum sit, fidem habere non possumus; deinde quod, ut omittatis etiam de aequalium moribus cogitando recordari, obstat He-

[1]) Tac. *Hist.* IV, 2, cf. 3, 4, 11. III, 86. [2]) Tac *Hist.* IV, 2. Verba „nondum ad curas intentus" non cum Imhoffio de cohibendis militibus, sed de universis juvenis moribus intelligenda sunt: cohaerent cum iis, quae praecedunt et pro excusatione libidinum sunt, ut contextus ostendit cap. 2. Cf. *Agr.* 7. [3]) *Dom.* 1. Vide Dio. LXVI. 3.

gesippi testimonium Suetonii verbis: „Nondum tamen Domitiano se penitus infuderat libido flagitiorum, rudis erat adhuc vitiis et tiro criminibus" [1]). Sed utut est, juvenis, voluptatibus libidinibusque gavisus, tempore justo efferbuit et satiatus est; et ex iis rebus, quae sequuntur, patebit, Suetonium vitia tantum juvenis memorasse, de causis vitiorum tacuisse.

[1]) *De excidio Hierosol.* IV, 32. Hegesippus seculo medio secundo p. C. vixit.

III.

DOMITIANUS ET MUCIANUS.

Senatores pavidi et parati unicuique servire, qui pacem atque securitatem redderet, die XXI mense Decembri convenerunt. Praefectura praetorii penes Arrium Varum, summa potentiae in Primo Antonio, quibus reliqua belli exstinguenda committebantur; cuncta principibus solita Vespasiano decernuntur [1]. Sic iterum Senatus servitutem subiit, quam sub prioribus Imperatoribus aegre toleraverat, et quamquam nulla causa fuit, cur Vespasianum leniorem ceteris dominum fore putarent: duces enim Flaviarum partium satis ostenderant, „se accendendo civili bello acres, temperandae victoriae impares" [2] Titusque, Vespasiani conjunctissimus filius, se minime clementer aut mansuete adversus gentes victas gesserat. Sed timor animos nobilissimorum virorum civitatis occupavit, et ignavia pro antiqua virtute animos incessit. Non tamen fefellit eos laeta spes, civilia arma finem cepisse; „tamquam manente bello scriptae" [3] Vespasiani litterae advenerunt, ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia, et Imperatoris auctoritatem simul atque princi-

[1] Tac. *Hist.* IV, 2 Tacitus confirmat suis verbis judicium Imp. Tiberii de Senatu. [2] *ibid.* c. 1. [3] *ibid.* c. 3.

pis dignitatem litteris exponebat. Senatus, cui nunquam vivo principe obsequium deerat, ipsi cum Tito filio consulatum, Domitiano praeturam urbanam tribuit [1]). Itaque Tito in Palaestina, Vespasiano in Aegypto morantibus, difficillimus et summi momenti magistratus minimo natu commissus est; quibus honoribus juvenis se nec paratum nec aptum sentiens, praeturam urbanam cum consulari potestate suscepit titulo tenus, jurisdictionem ad collegam proximum transferens. Posteriore demum tempore Domitianus jurisprudentiae studuit. Verum Senatui visum est, omnibus modis novum Imperatorem Reip. adjungere sibique liberalitate obligare. Muciano, socio Vespasiani, cujus invidia in occulto, adulatio in aperto, multo cum honore verborum triumphalia de bello civium data; sed in Sarmatas expeditio fingebatur.

Mucianus Urbem ingressus, cuncta simul in se trahens, non abstinebat a caede, adulationem omnium accipiebat, vim principis amplectens, nomen remittens, et ut jam in oriente perpetuum certamen fuerat inter summos viros, sic tunc [2]) Mucianus jactabat, se Flaviis imperium praebuisse et a Vespasiano fratrem appellatum esse; habere potestatem omnia suo arbitratu, etiam sine Vespasiani mandatu, gerendi, tantum hujus nomine adscripto, cujus annulum ad eum missum fuisse Dio ait, quo sigillo edicta affirmarentur [3]). Sic verbo Domitianus, re Mucianus pro principe agebat, quam sententiam confirmant verba Taciti in Agricolae vita, qui liber historias praecessit: „Initia principatus ac statum Urbis Mucianus regebat, juvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante" [4]). Mucianum omnia administravisse juvenique se, instigando eum ad gaudia et voluptates, gra-

[1]) Dio LXVI, 1. Suet. *Dom.* 1. [2]) Cf. Tac *Hist.* V, 26. Verba Civilis sunt: „arma in Germania movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, Flavianus in Pannonia". [3]) Dio. LXVI, 2. Cf. Tac *Hist.* IV, 4. [4]) *Agr.* 7. Cf. *Hist.* IV, 39, 40, 47. III, 53. II, 74 de Muc. ingenio.

tum fecisse sibique devinxisse, res facilis ad credendum est, et ipse Tacitus in Historiis dicit: „Kalendis Januariis in Senatu ejurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit: ejus nomen epistulis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat" [1]). Domitiani licentiae culpam nemo igitur non Muciano tribuet: sed juvenem non majore libidine fuisse aequalibus, aut certe intemperantia libidinum illo tempore non infamem fuisse his verbis Tacitus significat [2]): Domitianus „ignotis adhuc moribus" fuit.

„Senatum ingressus Domitianus verba fecit de absentia patris fratrisque; de juventa sua pauca et modica disseruit: *decorus habitu et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.*" Prudentissime retulit de restituendis Galbae honoribus, qua re potestas patris confirmaretur, auctoritas et gratia amplificarentur. Arripuit Curtius Montanus occasionem Pisonis novatoris memoriam celebrandi, sed frustra; patres soli Caesari concesserunt, quod alio rerum statu eodem jure aliis concessissent, et eos solos honoribus affecerunt, qui clam palamve ad Flavios perfugerant. Postquam cura restituendarum nonnullarum rerum sorte ductis commissa est, vetus odium partium repetitum est, et signo ultionis in accusatores dato, petit a Caesare Junius Mauricus ut commentariorum principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. Pace igitur vix restituta, unusquisque conatus est suae ultioni satisfacere; et res a verbis ad manus venit. Paucis verbis juvenis tum respondit, consulendum tali super re principem, verum quid senserit de primoribus civitatis tacuit, donec Imperium adeptus est. Senatus inchoantibus

[1]) Tac. *Hist.* IV, 39. [2]) *Ibid.* 40. Imhoffius in opere *Tit. Flav. Domitian.* (pag. 29) ea Taciti verba neglexit.

primoribus jusjurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant: nihil ope sua factum, quo cujusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba jurisjurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat: fremebant famosissimi delatores e Neronis temporibus et titubabant; mox alter alterum objurgabat, ut Paccius Africanus, qui quum a lepidissimo suae aetatis homine, Vibio Crispo, interrogationibus fatigaretur, societate culpae invidiam declinavit. Tales enim fuerunt viri senatorii: alii sub Nerone, alii sub Vitellio, delatores fuerant; ii, in quibus satis religionis inesset, jusjurandum mutabant, in quibus satis audaciae, deos perjurabant.

Bonam famam illo die consecutus est Vipstanus Messalla, nondum senatoria aetate ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari, nequissimo delatore. Ut Regulus more majorum ad exemplum omnium puniretur delatorum, petivit Curtius Montanus, qui tanto cum adsensu auditus est, ut spem caperet Helvidius Priscus posse etiam Marcellum Eprium prosterni; ardebant patrum animi, quod Marcellus sensit, et velut excedens curia, „imus" inquit „Prisce et relinquimus tibi senatum tuum, regna praesente Caesare." Sequebatur Vibius Crispus, sed accursu amicorum retrahebantur; ita per discordiam dies consumptus est.

Proximo Senatu, inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus [1]). *Itaque Domitiani clementes admonitiones prae metu Muciani spernebantur.*

Quum Domitianus alio Senatu alteram partem legis de restituendis Galbae honoribus laturus esset, ut consulatus, quos Vitel-

[1]) *Ibid.* 41—44.

lius dedisset, abrogarentur, Senatus agebat de paupertate aerarii publici, quae fortasse ficta fuit, ut principis commiseratio moveretur. In suum et gentis honorem Domitianus legem tulit, qua funus censorium Flavio Sabino duceretur.

Interea Vespasianum, quem, Orientem relicturum et in Italiam resque Urbis intentum, multi cujusque ordinis adierant, adversam de Domitiano famam accepisse, „tamquam terminos aetatis et concessa filio" [1]) egressus esset, constat inter eos, qui simul Mucianum cum Domitiano omnia illicita communia habuisse scripserunt. Sed Titus multo sermone orabat patrem: „ne criminantium nuntiis temere accenderetur integrumque se ac placabilem filio praestaret: non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum; nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere; suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad junctissimos pertineant; ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset" [2]).

Quam ob causam minorem filium calumniati sint, Tacitus non perspicue indicavit, sed Suetonius, qui memoriae prodidit, eum uno die super viginti officia urbana aut peregrina distribuisse, mirari se Vespasiano dictitante, quod non et sibi successorem mitteret [3]). Criminis vero societatem fragmentum Dionis Muciano adscribit, (de cujus superbia et ambitione aliud fragmentum Dioni subjectum est): Ille et Domitianus magistratus et praefecturas dederunt multis, et alios

[1]) Tac. *Hist.* IV, 51. [2]) *Ibid.* 52. Cf. Phil. *Vit. Apol.* V. 35 .... »θεραπεύσεται μὲν ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ παίδων, στηρίξεται δὲ ἐπ᾽ αὐτῶν καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ οἱ παῖδες, δορυφόροις δὲ αὑτοῦ χρήσεται μὰ Δι᾽ οὐ μεμισθωμένοις, οὐδ᾽ ἠναγκασμένοις, οὐδὲ πλατιομένοις εὔνουν πρόςωπον, αλλ᾽ ἐπιτηδειοτατοις τε καὶ φιλιαιοις". [3]) Suet. *Dom.* 1. Cf. Dio. LXVI, 2

post alios praesides atque consules designarunt. De numero autem munerum et de spatio unius diei Suetonius solus nos certiores facit! Verum sic se res habet. Quum in novis rebus eos, qui sub priore principatu officia praestiterint, cum aliis mutari ex usu esset, quod in primis id temporis Romae principe absente fieri necesse fuit, Senatus pro Vitellianis homines recenti imperio paratos, partim *leges ferente* Domitiano, partim *cogente Muciano*, magistratus creavit. Ex qua re efficitur, ut nullo modo Vespasianus res gestas filio crimini potuerit vertere, et ut Suetonius malitiosum quendam jocum tradiderit. Sed tam sublestae fidei etiam in minuta re Dio est, ut lepidissimum verbum senis per epistolam cum Domitiano communicatum scripserit: Ago tibi gratias, quod me sinas principatum tenere quodque me ex eo nondum expuleris, quam rem levem dicerem, nisi alia exempla suppeterent calumniae a Dione aggravatae.

Mucianum semina discordiae, ipse quo firmior esset innocensque videretur, sparsisse non negem, propterea quod, jactans se Flaviis Imperium procurasse, omnia ad suum arbitrium administraret, ita ut Primi quoque Antoni Varique Arrii potentia frangeretur, quorum ille se ad Vespasianum contulit, hic Muciano metuente, ne Principis filius suo jure uteretur honoresque tribueret amicis Flaviorum, innoxiis curis annonae tenebatur. Utque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Mucianus Arretinum Clementem, huic affinem et amicissimum, praetorianis praeposuit, quod pater ejus egregie sub Gajo Caesare hac cura functus fuisset et ordo Senatorius muneri non contrarius [1]).

Verum quantam vim Mucianus in Domitianum habuerit, declarant res, quas Tacitus narrat de expeditione in Germanias; nam ad sedandas turbas, de quibus „Romae cuncta in deterius

[1]) Tac *Hist.* IV, 68.

audita" [1]), egregius dux, pravae ambitionis plenus, ipse se accinxit et ne peritissimos quidem rei bellicae in acie stare passus est. Quare adsumebatur *e civitate* clarissimus quisque et alii per ambitionem, Antonius vel Varus recusabantur; sed maxime angebat Mucianum cupiditas Domitiani belli gerendi, quum se a libidinibus avertisset. Juvenis enim intellegens, bellum patri fratrique principatum potentiamqne attulisse, se cum illis, viam ineundo fortitudinis ac virtutis, operibus et dignitate aequari voluit. Profecti igitur sunt ambo, sed dispari animo, ille spe ac juventa properus, hic moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia aetatis et pravis impulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Sed Domitianus consilio non mutato, neque aurem praebens paternis amicis dissuadentibus, inchoavit expeditionem in Galliam Germaniasque, ut averteret periculum recenti Imperio immineus. Injuria Suetonius eam expeditionem non necessariam dixit. Nam ostentationem potentiae necessariam auctoritatemque Imperii Romani spretam fuisse apud gentes barbaras, perlucet ex argumento epistolae, a Tacito memoratae, missae a Classico et Civili ad Cerialem: „Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita, Urbem atque Italiam interno bello consumptam, Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatium suarum contentos, si proelium malit, ne id quidem abnuere". Ad ea Cerialis nihil respondit; eum, qui epistolas attulerat, ad Domitianum misit, et brevi post hoste superato Mucianus et Domitianus, antequam Alpibus appropinquarant, de victoria certiores facti sunt [2]).

Secundis rebus Mucianus usus est, ut iterum juvenem cupiditate gloriae ardentem ab exercitu removeret, et quod diu occultaverat ut recens exprompsit: „Quoniam benignitate

[1]) Tac. l. l. [2]) *Ibid.* IV, 75.

deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum; si status Imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos; ipse Lugduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret, nec parvis periculis immixtus et majoribus non defuturus." Et Domitianum Muciani auctoritati deditum fuisse Tacitus significat verbis: „intelligebantur artes, sed *pars obsequii* in eo ne deprehenderentur" [1]).

„Ita Lugdunum ventum. Unde *creditur* Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem ejus temptavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione utrum bellum adversus patrem agitaverit, an opes viresque adversus fratrem, *in incerto fuit;* nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem" [2]). Quam cautissime Tacitus haec memoravit et perinde ac si ipse dubitaverit iis rebus credere, quas non multis hominibus notas fuisse mihi persuadet silentium ceterorum scriptorum, qui de Domitiano pessima quaeque prodiderunt. At, ut res inter se aptae connexaeque sunt omnem nodum solvunt, quum certe juvenis nihil conatus esset contra patrem fratremque, qui prope ab Urbe essent. Inter ceteros scriptores Dio (*οὐδὲν ἐς μνημὴν ἐμοὶ γοῦν ὄφελος φέρουσαι*), nisi *θαύματος ἄξια* et fabulas nonnullas pueriles bellum non memoratu dignum aestimavit, de quo Tacitus egit in capitibus sexaginta sex parte operis deficiente. [3]) — At mehercule e Dionis libris historiae insequentium annorum magnam partem hauriendae sunt! — Verum ad refutandum rumorem, ab uno Tacito servatum, inspiciamus Frontinum [4]), testem minime spernendum,

[1]) *Ibid.* IV, 85 et 86. [2]) *Ibid.* c. 86. Sed Imhoff in libro *Tit. Flav. Dom.* (pag 30), rem veram fuisse credit propter »die Sinnesart Domitians, wenn Tacitus sich auch vorsichtig ausdrückt." [3]) Dio. LXVI, 3. Tac. *Hist.* IV, 12—37, 54—79. V 14—26 [4]) *Strateg.* (ed. Teubner.) IV, 3, 14. »de continentia."

qui sententiam de Caesare dixit verbis: „Auspiciis. Imp. Caes. Domitiani Aug. Germ. eo bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quae ad Civilem desciverat, cum adveniente exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra exspectationem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit mihi."

Josephus fortasse altius tollit patronum suum, occasionem arripiens virtutes ejus celebrandi: sed neque mentitus est, neque finxit. Domitianus, inquit, Caesar audita re non, ut alius ejus aetatis, nam omnino puer erat, dubitavit tantam molem negotiorum suscipere, sed paterna virtute innata atque exercitatione sua aetate validiore mox adversus hostes pugnatum contendit. Illi fama ejus adventus et timore percussi se ei subjecerunt, lucrum facientes sine calamitatibus eidem jugo se iterum subigi. Omnibus igitur necessaria stipendia imposuit, ne iterum facile res turbarentur, et illustris et circumspectus ob res gestas majores quam pro aetate sua convenientesque patri, Romam rediit [1]). Tacitus igitur rumores suis libris inseruit, narratiunculas Suetonius, fabulas Dio; quis post seriem seculorum uni horum fidem habuerit, neque potius comparando eorum scripta cum ceteris scriptis ex aetate Flaviorum verum expiscabitur?

[1]) *Bell Iud.* VII, 4 § 2.

IV.

DOMITIANI CONDITIO SUB PATRE ET SUB FRATRE.

Spretam a senioribus juventutem suam cernens, spe acquirendae gloria frustratus, „modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus, studiumque literarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris se aemulationi subduceret, cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur" [1]). Etiam in his verbis agnosco rumorem, a Tacito acceptum, prolatumque a Suetonio de simulato amore carminum juvenis, quem amorem simulatum fuisse non existimabant viri docti, qui Quinctiliano auctore

[1]) Tac. *Hist.* IV, 86. Cf. Suet. *Dom.* 2, 20. Imhoff. l. l. p. 31. docet, Domitianum sponte simulavisse id, ad quod (pag 23.) coactus fuisset. Cf. Quintilian Inst: *Orat.* X. 1, 91. „quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum parumque diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen his ipsis ejus operibus, in quae donato imperio juvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius? Quis enim caneret bella melius quam qui sic gerit?" Annotavit Bonnell, his verbis significari Aratea Caesaris, „die mann in neueren Zeiten ohne triftigen Grund lieber dem Enkel des Augustus zuschrieb."

poema Aratea Caesaris Germanici ei adscripserunt; neque nos putamus, quum Domitianus se in Albanum contulisse videatur, ut eos fugeret, quorum pessimos mores inde a primo tempore cognovisset utque versaretur in studiis artium et in venationibus, procul a negotiis publicis. Praeterea eodem tempore perdite amabat Domitiam Longinam, uxorem Aeliae Lamiae, Corbulonis filiam, quam duxit (discidium enim sub Imperatoribus facillime fiebat). Per totam vitam eam carissimam habuit, neque Imperatorum more cum concubinis aut servis mutavit. Hunc amorem etiam causam fuisse, cur patri obviam iret Beneventum, non Brundisium, quo Mucianus et primarius quisque se contulerant, puto: nemo enim sapiens causam morae petat e Dione [1]), qui non modo ea, quae Domitianus egit, sed etiam ea, quae in animo habuit (οὐδὲν γὰρ μικρὸν ἐπενόει), causam fuisse narrat, ob quam Domitianus ad Albanum commoratus stultitiam simulaverit, propterea quod procerta re simulatio enarrari non potuit paterque filium vituperasset, si non Brundisii, certe Romae.

At omnia alia paullo post legimus. Quum Vespasianus Titusque Urbem ingrederentur, triumphum utriusque equo albo Domitianus comitatus est et inde ab eo tempore cum patre una habitabat, plerumque in hortis Sallustiis [2]). Quoties prodibant publice pater et frater, Domitianus sequebatur lectica. A. U. 826 consulatum ordinarium gessit, cedente et suffragante fratre. Ceteroqui, quamdiu pater vixit, se ab omni Rep. abstinuit, quo mortuo rursus negotia publica suscepit. Est tamen [3]), qui memorat eum omnibus modis a patre petisse, ut exercitui praeficeretur, quem sibi auxilio Vologesus, Parthorum rex, in remunerationem prius oblati auxilii adversus Alanos repoposcisset, cum altero Imperatoris filio duce; et re discussa, quum senex negaret curas alienas ad se pertinere, Domitianum alios Orientis reges, ut idem postula-

[1]) LXVI, 3. Cf. 9. [2]) Suet. *Dom.* 2. [3]) Suet. l. l. Cf. Dio. LXVI, 1

rent, donis atque pollicitationibus sollicitasse. At cur non, ut Beuleus fecit, fidem habeam hisce, exponam [1]). Primum Parthis postea illi nisi sunt, qui, ut ille, qui Neronis memoriam renovavit, aut ut Decebalus, contra Imperatorem Domitianum turbas agebant. Tum apud Dionem ne verbum quidem est hac de re, quamquam Parthorum res petitionemque auxilii memorat. Deinde Suetonius plures rumores prodidit, quos juvenis de temporibus Flaviorum accepit. Denique Josephus non omisisset Domitianum laudare ob famam ejus apud barbaras gentes.

Merivalius quoque se fidem habere negat Suetonii narratiunculae et argumentis allatis, quibus Vespasianus recusaverit auxilia mittere, pergit: „*Perhaps* his greatest difficulty lay in resisting the sollicitations of Domitian, *who is said* to have aspired to lead an army in person, and to have importuned his father for the means of reaping laurels for himself" [2]).

Vespasiani animus a minore filio non alienus fuit. Nam quum pater negotia publica cum Tito partitus est, si alter morbo affectus erat, alter aberat, Domitianus in Senatu de Republica egit. Molem imperii expertus, fortasse Tito orbato filiis per testamentum aliumve modum persuasit [3]), ut fratrem participem potestatis faceret, quemadmodum constare videtur ex Aurelii Victoris verbis exque jactatione Domitiani, qui nunquam dubitaverit dicere „relictum se participem Imperii, sed fraudem testamento adhibitam" [4]), et ex ipsius severi [5]) Titi factis, qui eum „ne in minore quidem honore habere sustinuerit", et „a primo Imperii die consortem successoremque testari perseveraverit" [6]).

[1]) Beulé, *Tit. et sa dynastie.* p, 259. [2]) *Hist. of the Romans under the Empire* VII, 261. Cf. Imhoff. *Tit. Flav. Domit.* p. 33. [3]) Cf. Suet. *Vesp.* 25. Victor. *de Caes.* 9 „Simul divinis deditus (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore". Eutrop. VII, 20. [4]) Suet. *Dom.* 2. [5]) Cf. Dio. LXVI, 16, Suet. *Tit.* 6. [6]) *Ibid.* 9. Cf. Plin. *Ep.* IV, 9. „Jul. Bassus Titum timuit ut Domitiani amicus, *a Domitiano relegatus est*"; quae verba concordiam fratrum videntur probare.

Ceterum e duobus annis consortii neque quid mali neque quid boni de Domitiano memoratur nisi, fratribus Rempublicam sustinentibus Domitianum clam palamve insidias struxisse fratri et diu cunctatum esse, an duplum donativum militi offerret [1]). Quae historiae, a Suetonio prolatae, ab alio scriptore non confirmatae, rumorem sapiunt. Primo enim nunquam insidias *fecit* aut donativum dedit Domitianus scriptoremque Suetonium latebat, quid in animo habuerit. Deinde Titus fratrem cooptatum habuit inde a primo Imperii die. Tum Titus metuens, ne successio fratris satis certa esset filiaeque conditio se mortuo deterior, illam huic obtulit, (quamquam frustra, quia Domitianus Domitiam Longinam repudiare nolebat). Sed qui his talibusque historiis fidem habet is quoque fidem habere poterit fabulae, secundum quam Titus patrem senem veneno interfecit, cujus fabulae non levior auctor exstat divo Hadriano [2]). Cui vero rei quoniam nemo credit, rumoribus explevisse libros suos scriptores, si nulla res fuerit memoria digna, necesse est concedas.

Sic et mortem Titi post breve imperium anno aetatis quadragesimo primo variis rumoribus ansam dedisse, lector benevolus nobis concedet [3]). Philostratus [4]) serio narrat, Apollonium, virum divinum, deorum numine Titum monuisse, antequam Rempublicam capesseret, „ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς δεδιέναι τοὺς ἐκείνῳ πολεμιωτάτους, ἀποθανόντος δὲ τούτου τοὺς ἑαυτῷ οἰκειοτάτους;" et quum Titus in urbem reverteretur rogaretque, quae vitae finis foret, respondisse, „ὃν γε Ὀδυσσεὺς λέγεται, φασὶ γὰρ κἀκείνῳ τὸν θάνατον ἐκ θαλάττης ἐλθεῖν·" Quae Damis interpretatus est sic: „Φυλάττεσθαι μὲν αὐτὸν τὴν αἰχμὴν τῆς τρυγόνος ᾗ τὸν Ὀδυσσέα βεβλῆσθαί φασι, δυοῖν δὲ ἐτοῖν μετὰ τὸν πατέρα τὴν ἀρχὴν κατασχόντα ὑπὸ τοῦ θαλαττίου λαγὼ ἀποθανεῖν, τὸν δὲ

1) Suet. *Dom.* 2. 2) Dio LXVI 17. 3) Cf Stahr. *Tiberius* ed. alt. p. 65. 4) *Vit. Apol.* VI., 32.

ἰχθὺν τοῦτον παρέχεσθαι χύμους ἀποῤῥήτους ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ καὶ γῇ ἀνδροφόνα, καὶ Νερῶνα μὲν εἰσποιῆσαι τοῖς ἑαυτοῦ ὄψοις τὸν λαγὼν τοῦτον ἐπὶ τοὺς πολεμιωτάτους, Δομετιανὸν δὲ ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν Τίτον, οὐ τὸ ξὺν ἀδελφῷ ἄρχειν δεινὸν ἡγούμενον ἀλλὰ τὸ ξὺν πράῳ τε καὶ χρηστῷ. Tale quid apud Suidam [1]) quoque est: »οὗτος σὺν τῷ βασκάνῳ δαίμονι νεμεσήσας τῷ ἀδελφῷ τοῦτον ἀναιρεῖ φαρμάκῳ ἔρωτι τῆς ἀρχῆς."

Paullo lepidior est inventio Judaeorum, qui Titum crudelissimum experti omnia mala de eo divulgabant causamque maturae ejus mortis Dei summi irae propter expugnata Hierosolyma adscribebant. Arachne scilicet, quae in nasum Imperatoris irrepserat, cerebra ejus effodit, donec viro mortuo pinguis atque dura egressa est. Cui fabellae Eusebius addidit: „ὡς δε οἱ Ἕλληνες ἱστοροῦσιν, φαρμάκῳ Δομετίανος αὐτὸν ἀνεῖλεν" [2]). Cave credas iis, quae ab historicis, qui fide digni non habentur, prolata sunt, et ad quos egomet annumero illum, cujus fragmentum Xiphilinus servavit, quod est: „ἐς λάρνακα χιόνος πολλῆς γέμουσαν" Domitianum fratrem injecisse, quum adhuc respiraret forsitanque revaluisset [3]). Nam simplicissima omnium causa mortis in eodem Dionis libro narratur, morbo Titum exstinctum esse, quem sibi contraxerat lavando in iisdem aquis, in quibus pater mortuus erat, quam rem Plutarchus [4]) affirmat, Titi mortem afferens tanquam exemplum, quam damnosa sint nimia balnea corpori, cuique Suetonius non obstat, nec ii, qui post illum scripserunt, Titum morbo periisse [5]).

[1]) Voc: *Δομετιανός*. [2]) EUSEB. *Chron*, I. 44. [3]) DIO LXVI, 26. [4]) *ὑγιεινα παραγγέλματα* (ed. Teubner) cap. 3. [5]) EUTR. VII, 22, „in ea qua pater villa"... AUR. VICTOR *Ep.* X. conjunxit varias opiniones verbis: „lautusque veneno interiit." IMHOFF *Tit. Flav. Dom.* p. 19, Nullo modo opus est post Plutarchi disertum testimonium cum Imhoffio maturae mortis causam quaerere in veneno, quod Titus puerulus una cum Brittanico gustavit. Cf. IMHOFF. *ibidem.* p. 34.

Titus moriens conquestus est, eripi sibi vitam immerenti, nec exstare ullum suum factum poenitendum excepto dumtaxat uno [1]. Quod, quid vel quale fuerit, nec ipse dixit, nec alius homo dicere potuit. Conjecerunt igitur alii, Titum recordatum esse consuetudinis cum fratris uxore, (quam vero haec per jusjurandum negavit), alii eum fratri imperium traditurum esse, quem sibi insidiatum maluisset interficere. Non desunt etiam qui Imperatorem populi Romani vexatum exponunt propter Hierosolyma excisa. Eadem libertate conjiciendi usus, Titum vexatum putem conscientia uxoris justae, Marciae Furnillae, repudiatae. Verum quidquid est, minime omnium iis concedendum arbitror, qui Titum extrema vitae hora infestum fratri dixerint, quem Imperii participem habuerat cuique filiam obtulerat suam.

[1]) Suet. *Tit.* 10.

V.

INITIUM DOMITIANI PRINCIPATUS.

Statim post Titi mortem Domitianus equo Romam profectus ad exercitum praetorianis, sicut Titus post patris fecerat mortem, donativum obtulit, et a militibus, quorum voluntas erga eum semper optima fuit, Imperator salutatus ad Curiam se contulit. Sed ex eo, quod profectionem maturaverat, rumor ortus est, eum fratrem pro mortuo deseruisse idemque servos facere jussisse [1]). De qua tamen re non aliter sentiendum puto atque Stahrius sentit de caede Drusi, ab Augusto conscio Tiberio patrata [2]). Namque properato opus fuit, quod nulla lege successio fratris confirmata eodemque fere jure gener Titi quo frater erat, quod Titus jam intellexerat. Sed vir militaris moribusque Orientalibus assuetus, res divinas prae commodis Reipublicae aut propinquorum spernens, quum feminam Imperatorem esse non licuerit, ut per conubium Imperium hereditarium in gente Flavia fieret, non nefas duxit

[1]) Dio LXVI, 26. [2]) *Tiberius* ed. alt. pag. 15. „Bezeichnend aber für die Bosheit der Römischen Gesellschaft, die wir namentlich in Tacitus und anderer Geschichte Tiber's als einen wahren Sumpf niederträchtiger Verleumdung kennen lernen, war das *später in Umlauf gesetzte Gerücht*, dass der Tod des Drusus ein Werk politischer Eifersucht und Furcht des Augustus gewesen sei," c. q. s.

fratri suo filiam collocare, quamquam matrimonium illud jure Romano non justum fuit.

Recusatam a patruo virginem mox affini gentis Flaviae, Flavio Sabino, Titus in matrimonium dedit. Is, qui aversus a simplicitate antiquisque moribus Flaviorum in aula vivebat tamquam princeps magna luxuria, multis cum albatis et ministris, opinione ducebatur, sibi, genero principis, aliquando imperium posse contingere. Quae omnia Domitianus perspiciens indigneque ferens summi poetae verbis „οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη" vituperavit [1]). Certe Sabino parati erant turbatores et molitores novarum rerum, qui nunquam defuerunt, neque quamdiu imperium tranquilli senis, neque quamdiu breve et nimis laxum Titi fuit [2]). Successionem Domitiani non fuisse certam etiam ex hoc elucet, quod senatores, de morte Titi certiores facti, priusquam edicto convocati sunt, in Curiam convenerunt, summo mane obseratis adhuc foribus, laudes et gratias mortuo actum [3]). Ubi Domitianus per exercitum se tutum vidit cognovitque se ceteris civibus acceptum fore, honoribus feralibus consuluit, luxit et flevit cum optimo quoque, exemplum dedit moestitiae retinendis ludis, qui novo Imperatori fieri solebant. Non obstitit senatusconsultis, per quae solennes honores mortuo haberentur, cultumque secutus est tribuendo fratri consecrationis honorem, referendo eum inter Divos dicandoque coelo, ut Titus Vespasianum dicaverat. Ipse orationem funebrem habuit lacrimavitque laudes ejus prosecutus [4]). Quid igitur amplius ii, qui

[1]) Suet. *Dom* 12. [2]) Suet. *Vesp*. 15. *Tit* 9. Dio LXVI. 12. Aur. Vict *Ep*. X. Eutr. VII. 20, 21. [3]) Suet. *Tit*. 11. [4]) Dio LXVII. 2. Epitomator nobis illa servavit, sed Suetonius *Dom*. 2 simpliciter „defunctum" inquit „nullo praeterquam consecrationis honore dignatum." Etiam alia sunt, quae probant, Suetonium sine diligentia aut cura vitam Domitiani composuisse, aut Dioni alios fontes ad manum fuisse Cf. Plin. *Pan*: XI, 1.

vitam Domitiani conscripserunt, de eo sperarint, mihi non est manifestum. Sed postquam illi ex rumoribus de prava ejus ingenii vi deque prava animi indole avide acceptis effecerunt, ut Titus odio esset fratri, simulationi [1]) adscripserunt ea, quae ex pietate et amore fraterno provenerant, ita ut Domitianum, haud absimilem mimo et scenae cuipiam, aliam rationem iniisse publice quam privatim dicerent [2]). Falso. Nam Domitianus fratrem secutus est in iis legibus, quas cum vivo probaverat, pro ludis Titi natalibus, quibus nihil rationis erat post viri mortem, alios edidit quaeque cetera in usum singulorum civium Titus inchoaverat, ut erant largitiones et donationes, continuavit. Sed ex edictis legibusque Titi contrariis offensionem fratris explicabant, quorum vero pauca aut nulla fere memorantur, nisi de juris dictione, quam ipse Suetonius sub Domitiano optimam fuisse confirmat [3]).

Quantopere memoria illorum temporum occaecata sit, efficitur e rebus, quae de depravatis moribus oppressis traditae sunt. Titi imperium non difficile fuerat, qui quidem professus esset, se pontificatum maximum accipere, ut puras servaret manus [4]). Contra Domitianus simul cum principatu hanc potestatem accepit, ut civitatem purgaret ab omni nequitia et ab incestis nefariis, quas superstitiosus populus Romanus causas omnium calamitatum esse putabat, quae urbi aut Italiae acciderent. Incestus autem unius Virginis Vestalis perniciosior saluti publicae aestimabatur, quam si omnium civium mores depravati essent, et saepius inter clades publicas illarum mores examinabantur [5]). Domitianus igitur, cui bona quaedam indoles

[1]) Cui credere Imhoffio placuit. *Tit. Flav. Dom. p.* 35. [2]) Num flocci facias eum, quicunque fuit, scribentem: »πάντα τὰ ἐναντιώτατα ὧν ἠβούλετο σκηπτόμενος." Dio LXVII. 2. Cf. Suet. *Dom.* 2. [3]) Suet. *Dom.* 8. [4]) Suet. *Tit.* 9. [5]) Cf. Suet. *Dom.* 9. Imhoffi conjectura sunt verba. »Verordnungen, welche besonders geeignet waren an die schwachen Seiten seiner Vorgänger denken zu lassen."

et obsequium non abneganda sunt, praesertim juveni, ad populi voluntatem egit et jus fasque coluit, Rempublicam lustrans, exquirens Virgines Vestales tam, quae ante suum Imperium vota non solvissent, quam, quae se Principe crimina commisissent. Suetonius autem, divinis aeque deditus atque Imperator, designat inquisitionem et persecutionem Virginum Vestalium unum e pulcherrimis ejus facinoribus, et Philostratus vatis sententiam edidit „ὡς λαμπρὰν κάθαρσιν" [1]). Virgines, quae initio principatus reae factae erant, supplicio capitali afficiebantur; more veteri defodiebantur, quae crimine nondum destiterant. Ocellatis itaque sororibus itemque Varronillae liberum mortis arbitrium permissum corruptoresque earum relegati. Cornelia Maxima Virgo jam ante accusata et absoluta iterum repetita et criminis convicta viva in Campo Scelerato prope Portam Collinam defossa est. Non dubium est, quin Cornelia virgo incestum continuaverit, quod tam ejus quam corruptorum ceteris reis multo gravior poena fuit. Celer, eques Romanus, ceterique stupratores in comitiis virgis ad necem caesi sunt. Uni Valerio Liciniano, viro praetorio, non obtigit haec sors; sed is, sponte confessus adulterium, quod non satis argui posset ex quaestionibus et tormentis, in exilium missus est. Dissentiunt Plinius [2]) et Suetonius hac de re, ceteroqui amici, qui etiam somnia nugasque secum communicaverint [3]). Epistola Plinii, post Domitiani mortem (est enim anno CV p. C. liber quartus editus) [4]) scripta, res continet nonnullorum hominum illius aevi, qui-

[1]) *Vit. Ap.* VII. 6. Suet. *Dom.* 8. *priora* intellige de incestis paullo post initum Principatum commissis, *posteriora* de iis, quae secuta sunt. Sic intelligere nos jubent verba seqq. „Nam quum . . ." Quamquam ordo rerum apud Dionem inversus est, tamen res ipsae hanc sententiam confirmant [2]) *Ep.* IV, 11. Cf. Mommsen *Hermes*, III, 1, pag 36, qui docet, nullam Plinii epistolam ante mortem Domitiani publicatam esse. [3]) Plin. Ep. I, 18. [4]) Quod Mommsen, *Hermes* III, 1, pag. 47 effecit e rebus apud Plinium libro quarto memoratis.

bus litteris ansam dedit reditus Liciniani, de quo Cornelium Minicianum Plinius certiorem fecit, probans, jam tum posse existimari, Licinianum miseranda et tristia merito pati, iisque esse dignum illum, qui senator et orator haec ipsa studia incesti scelere maculaverit, adjiciensque res, quas scriptor tantum auditione novisse potuit. „Confessus est quidem incestum, sed incertum, utrum quia verum erat, an quia graviora metuebat, si negasset. Fremebat enim Domitianus aestuabatque ingenti invidia destitutus. Nam cum Corneliam, Vestalium maximam, defodere vivam concupisset, ut qui illustrari saeculum suum ejusmodi exemplis arbitraretur, pontificis maximi jure seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam convocavit. Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti, cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset, nam vidua abortu periit. Missi statim pontifices qui defodiendam necandamque curarent. Illa, nunc ad Vestam, nunc ad ceteros deos manus tendens, multa, sed hoc frequentissime clamitabat, „„me Caesar incestam putat, qua sacra faciente vicit, triumphavit." " *Blandiens* haec an *irridens*, ex fiducia sui an ex contemptu principis dixerit, *dubium est.* Dixit, donec ad supplicium, *nescio an innocens*, certe tamquam innocens, ducta est. Quin etiam cum in illud subterraneum demitteretur haesissetque descendenti stola, vertit se ac recollegit, cumque ei manum carnifex daret, aversata est et resiluit foedumque contactum, *quasi* plane a casto puroque corpore novissima sanctitate rejecit, omnibusque numeris pudoris *„πολλὴν εὔνοιαν ἔσχεν εὐσχήμων πεσεῖν."*

Plinius profecto dubitat eam absolvere, sententiam suam quam cautissime aperiens. „Praeterea Celer, inquit, eques Romanus, cui Cornelia objiciebatur, cum in comitio virgis cae-

deretur, in hac voce persteterat, quid feci, nihil feci. Ardebat ergo Domitianus et crudelitatis et iniquitatis infamia." Verum alia causa Liciniani exilii sequitur, non conveniens cum rebus, ab ipso Plinio aut a Suetonio memoratis. Domitianus „arripit Licinianum, *quod in agris suis occultasset Corneliae libertam.* Ille ab iis, quibus erat curae, praemonetur, si comitium et virgas pati nollet, ad confessionem confugeret, quasi ad veniam. Fecit. Locutus est pro absente Herennius Senecio tale quiddam, quale est »*κεῖται Πάτροκλος*". Ait enim ex advocato nuntius factus sum: Licinianus recessit. Gratum hoc Domitiano, adeo quidem ut gaudio proderetur diceretque: absolvit nos Licinianus. Adjecit etiam non esse verecundiae ejus instandum, ipsi vero permisit, si qua posset, ex rebus suis raperet, antequam bona publicarentur, exiliumque molle velut praemium dedit. Ex quo tamen postea clementia divi Nervae translatus est in Siciliam, ubi nunc profitetur seque de fortuna praefationibus vindicat."

Ex illa epistola efficitur primum, Domitianum gaudium ob culpae confessionem non celavisse, qua re refutatur immanitas tyranni; deinde, ipsum Plinium crimina non negavisse; tum, ne clementem quidem Nervam exilium tollere ausum esse. Quapropter Merivalius scripsit: „Such however was the sympathy of the people with these propitiatory sacrifices, that even after Domitian's fall the virtuous Nerva did not think proper to recall the exile" [1]).

Secundo seculo post, Dio [2]) plura quaedam quam Suetonius aut Plinius lectoribus suis narravit; sed non abest suspicio, quin ea scripserit, ut contristaret animos lectorum infestosque in Domitianum redderet, dicens, Imperatorem ne

[1]) *Hist. of the Rom.* VII. 361. [2]) LXVII, 3. Cf. EUTR. VII. 23. „Domitianus Neroni aut Caligulae aut Tiberio similior quam patri vel fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit."

Vestalibus quidem pepercisse, postquam multos primarios viros compluribus de causis morte aut exilio affectos de medio sustulit, contra Suetonii disertum testimonium, Imperatorem nempe initio ab omni caede abhorruisse. Tum Dio contra consensum Plinii et Suetonii Vestales ait probri convictas non defossas ob eamque rem Imperatorem gavisum esse. Postremo Helvium Agrippam, unum e Pontificibus, de quo viro apud nullum quidquam memoratur, in Senatu auditis multis suppliciis terrore perculsum animum efflavisse, quod pugnat cum verbis Plinii, qui Albanum designavit locum, quo Pontifices convenerant. His dissensionibus accedit, quod Dio cum unoquoque facinore alicujus momenti caedes aliquot conjunxit, nominibus vero occisorum plerumque omissis.

Pro simulatione et obliqua invidia in fratrem perperam interpretabantur studium quoque Domitiani luxuriae et libidinum opprimendarum, contra quas secundum Dionem Imperator edicta edidit, quam primum principatum adeptus est [1]). Nam vir non tam libidinosus quam Titus suppressit sexus virilis usum et castrationem, bestiis necessariam, genere humano indignam, quia illi mores nobilitati Romanae in deliciis praecipue provinciis nocebant [2]). Hanc ob causam edixit Domitianus, ne quis intra fines Imperii Romani castraretur, non propter invidiam Titi, qui exsectos dilexisset, quam causam unquam exstitisse cum doctissimo Merivalio nego, eamque fuisse causam, quam diximus, unus [3]) poëta intellexit, dicens, Domitianum voluisse vetare „fortem interire

[1]) Dio LXVII 2, Suet. *Dom.* 7. cf. *Tit.* 7. [2]) Stat. *Silv.* IV, 3, 13. [3]) Mart. VI. 45. Cf. IX. 7. (6). Cf. Sievers *Studiën zur Gesch. der Röm. Kaiser*, 1860, p. 7., Nota 14. „Ueberhaupt würde bei einer gehörigen Würdigung der Römischen Imperatoren die übertriebene Anklage der Schmeichelei, die so oft gegen die augustinischen Dichter erhoben wird, viel weiniger vorkommen"; cf. pag. 104—5. Quintil. *Instit. Or.* V. 12, 17. Digest. XXIII 3, 39. Iuven. *Sat.* I. 22 et sordidos versus VI, 366—378.

sexum," quae poetae sententia confirmatur edicto, quo Imperator spadonum pretia moderatus est, qui residui apud mangones erant, ne hi pretii magnitudine, qua divites certabant, ad alios pueros castrandos invitarentur. Ne civium numerus minueretur Domitianum usum spadonum, quibus tantum lasciviae causa nuberent pecuniosae nobiles feminae, — nam pauperibus tantum casta Venus permissa erat — sustulisse legimus apud Martialem [1]).

Lusus erat sacra conubia fallere taedae,
Lusus et immeritos exsecuise mares.
Utraque tu prohibes, Caesar, populisque futuris
Succurris nasci quod sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec moechus erit te praeside quisquam.
At prius, o mores, et spado moechus erat.

Succurrit poëtis Ammiani Marcellini testimonium [2]): „Juvat veterem laudare Domitianum, qui receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat: ne intra terminos jurisdictionis Romanae castraret quisquam puerum, quod ni contigisset, quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur?"

Multos, quorum obsequium Imperator quam maxime desiderabat, obstitisse, ne ea edicta acute exigerentur e nexu rerum apud Dionem perspicimus; quibus iratus, simul de patre et fratre cogitans, qui fere timidi post principatum acceptum molestis hominibus cessissent, „Imperatores", dixit, „a quibus non multi homines punirentur, fortunatos magis quam bonos esse [3])." Domitianum severe jussa exegisse, senatoresque timuisse, ne sua potentia minueretur, ostendit senatusconsultum ei propositum, quo flagitabant, ut necandi senatoris licentia ei adimeretur, quum multum eorum interesset, suone privato arbitrio an cognitione Senatus in quenquam ordinis senatorii

[1]) VI, 2. [2]) XVIII. 4. § 5. [3]) Dio LXVII. 2. Cf. Imhoff. *Tit. Flav. Dom.* p. 70.

princeps animadverteret, quasi vero ipsis liberum esset, contradicere Imperatori aut reum absolvere. Quod petitum Domitianus obstinate negavit. Nam ubi esset ipsius auctoritas, si de jure vitae ac necis potentioris partis populi cessisset viris, quorum malam fidem juvenis cognoverat quibusque nulla aequitas judiciorum fuit? Edictum de spadonibus odium movit Romanis, quod Earinus[1]), qui in aula vivebat, dicebatur spado esse et quod Romani non perspiciebant, aut perspicientes parvi ducebant, edictis provinciarum incolis subveniri, quorum multi in foedum usum Romam deducebantur. Earinum autem fuisse, qualem decebat in sola Caesaris esse domo [2]) neque similem ceteris sui generis hominibus testantur poetae; provinciasque summae curae Domitiano fuisse, certum est ex inscriptionibus et epistolis, apud scriptores rerum parum elucet.

Multorum hominum animos edictum tetigit, quod ad Ionicas Urbes pervenit, quo tempore nonnullae in sinistra Hellesponti ora terrae motu turbabantur: ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur relicta, ubi plurimum, dimidia parte; sed exsequi rem Domitianus non perseveravit. Causam edicti simplicissimam legimus apud Suetonium [3]): „ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam Domitianum existimasse nimio vinearum studio neglegi arva"; eoque edicto Imperatorem voluisse subvenire frumenti inopiae, confirmant leges ab Imperatoribus, qui ante eum fuerant et ab iis, qui post eum venerunt, latae [4]). Stultissimam vero invenit Philostratus causam, tamquam Imperator usum potionis vetuerit ob seditiones tumultusque inde ortos; ita ut Apollonius exclamarit:

[1]) Mart. IX, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 36, 37, Stat. Silv III, 4. [2]) Mart. 13. [3]) Suet. *Dom.* 7. [4]) Eutr. IX, 17. vop. *Prob.* 18, ostendunt singularem Caesarum curam in vino colendo.

τὰ μὲν προστάγματα οὐ πρὸς ἐμὲ ταῦτα, μόνος γὰρ ἴσως ἀνθρώπων οὔτε αἰδοίων δέομαι οὔτε οἴνου. λέληθε δὲ ὁ θαυμασιώτατος τῶν μὲν ἀνθρώπων φειδόμενος τὴν δὲ γῆν εὐνουχίζων[1]. Sed tamen *θαυματοῦργος* ille Ionicos, qui maxime venditione et cultu vini florebant, confirmavit iisque persuasit, ut ad Caesarem mitterent, qui veniam edicti peteret, quam legationem Scopelianus Sophistes feliciter suscepit.

Sublati autem edicti causa apud Philostratum multo verisimilior est quam apud Suetonium, qui ex rumoribus affert, Caesarem anxietate ita compulsum fuisse, ut tolleret edictum versibus, quibus eum irritabant, quales sunt Eueni[2]:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ,

in quibus verba *σοὶ τράγε* cum *καίσαρι* verbo mutaverant. Quum Philostrato, multo post viventi, justa causa nota fuerit, fieri non potest, ut Suetonio fidem habeamus, Domitianum adeo turbatum dicenti ignavis illis versibus, ut nullam aliam ob causam sustulerit edictum.

[1]) Philostr. *Vit. Ap.* VI, 42. *Vitae Soph*: I. 12. [2]) Suet. *Dom.* 14.

VI.

VITA PRIVATA CAESARIS CALUMNIA NOTATA.

Domitia Longina priore marito relicto, ut sequeretur juvenem Domitianum, XX annos natum, rem habere dicebatur cum Paride mimo, eamque impudicissimam fuisse Suetonius indicat verbis: „famam fuisse, eam olim cum Tito consuetudinem habuisse, qua re etiam gloriata fuisset, quod illi promptissimum in omnibus probris" [1]). Sed fortasse Suetonius nimis atro colore eam depinxit. Domitianus autem eam amabat alteroque Imperii anno Augustam consalutavit, et de filio secundo consulatus anno, secundo aut tertio conubii, nato Martialis parentibus gratulatus est: [2])

> Nascere Dardanio promissum nomen Iulo
> Vera deum suboles. . . . .

Verum eam, deliciis Paridis Pantomimi commotam, lege abrogata, quae vetabat Flaminem Dialem uxorem dimittere [3]), repudiavit, Paridemque prima irae eruptione occidi jussit;

[1]) Suet. *Tit.* 10. [2]) *Epigr.* VI, 3. [3]) Plut. *Quaest. Rom* p. 376 E.

quod idem de uxore ut fieret statuerat, sed deprecante Urso sententia destitit dimisitque tantum Domitiam. Haec sic se habent apud Dionem [1]). Secundum Suetonium, qui capitis damnationis ignarus est, et secundum alterum fragmentum Dionis [2]), ad verbum fere e Suetonio in Graecum translatum, populo efflagitante eam reduxit. At, quum non videam, quomodo populus, apud quem Domitia infamia aspersa erat, se rebus privatis Caesaris immiscuerit et tum flagitaverit, ut apud eum restitueretur, e duobus scriptoribus componendas puto sententias sic, ut Ursus sermones populi Imperatori enarraverit et hic auditis precibus aut morte adulteri ira posita discidii impatiens uxorem reduxerit. Monetis verbis „Concordia Aug." impressis festisque diebus reconciliatio celebrata est. Ipse Imperator serio aut per jocum „revocatam" inquit, „eam in pulvinar suum" [3]). Fontes, quos indicavimus, eam rem ample memorantes, quae ad Rempublicam communemque salutem non pertinuit, inter se dissentiunt. Suetonius enim ignorat Paridis mortem, neque ut Dio ejus crimen cum caede multorum conjunxit, qui locum, ubi Paris cecidit, floribus et unguentis sparserant. Dioni de caedibus, de quibus ceteri scriptores tacent, narratis, nullius occisi nomine addito, credendum non esse supra demonstratum est [4]). Praeter silentium Suetonii mihi movit suspicionem Martialis carmen [5]):

> Quisquis Flaminiam teris viator,
> Noli nobile praeterire marmor.
> . . . .
> Romani decus ac dolor theatri
> Hoc sunt condita quo Paris sepulcro.

Quis enim non mecum miretur, histrionem, occisum in media via ob maximum crimen laesae majestatis, non in scele-

[1]) Dio LXVII, 3. [2]) Dio. l. l. [3]) Suet. *Dom.* 13. [4]) Pag. 42 [5]) XI. 13.

ratorum campo, sed juxta viam Flaminiam sepultum esse? Fortasse erravit Dio et histrionem, de quo a Nerone occiso Suetonius [1]) mentionem facit, aut per se aut ex rumore quodam mutavit cum hoc Paride, cui errori nominis similitudo ansam dare potuit. [2])

Non certior res est de consuetudine Domitiani cum Julia tradita, quae ab eo olim recusata et Flavio Sabino in matrimonium data, ejus tutelae commissa est post Titi Sabinique mortem [3]). Fama tamen fuit, eum fratris filiam virginem adeo ultro et quidem Tito etiam vivo, mox patre atque viro orbatam, ardentissime palamque dilexisse, ut etiam causa mortis exstiterit coactae conceptum a se abigere. Confirmant Suetonii verba Plinii „nam vidua abortu periit" [4]), et Iuvenalis fere eodem servato ordine rerum versus [5]):

> Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
> Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
> Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas.
> Quum tot abortivis fecundam Julia vulvam
> Solveret et patruo similes effunderet offas.

Apud Dionem Domitianus palam diligere coepit Iuliam post breve discidium Domitiae, qua reducta hac etiam usus est. Verum Julia, nata e Marcia Furnilla, quam Titus repudiaverat, quo facilius cum Berenice consuetudinem haberet, die quo Hierosolyma expugnata sunt (70 p. c.), fere XX annis minor patruo fuit [6]). Phyllis, qui illum nutriverat, hanc etiam educavit et ambobus superstes fuit. Titus igitur, si filiam fratri suo obtulit, hoc fecerit necesse est sub finem vitae, ita ut Domitianus eam postea duceret. Nam patre mortuo puella vix undecimo aetatis anno fuit, quam Domitianus

[1]) Suet. *Nero.* 54. [2]) Cf. Merivale. *Hist. of the Rom.* VII, 366. [3]) Suet *Dom.* 22. [4]) *Ep.* IV, 11. [5]) *Sat.* II. 33. [6]) Flav. Jos. *B. J.* VI. 8 § 5.

diligere potuit, ut frater fratris liberos diligit, quum ipse jam tricesimo aetatis anno satiatus amoribus occupatus curis esset. Unius itaque Suetonii verbis: „*vivo adhuc Tito*" Juliam a patruo corruptam esse assentiendum non puto [1]).

Titus generum Sabinum assumsit, quem cognovimus magna luxuria in aula vixisse quemque Domitianus occidi jussit anno fere 84 p.C., anno aetatis Juliae decimo quarto, Domitiani tricesimo tertio, ut intelligo e verbis Suetonii: „quod eum comitiorum consularium die destinatum perperam praeco non consulem ad populum, sed Imperatorem pronunciaverat" [2]) (Consul autem Domitianus VIII fuit anno 82 p. C.), compositis cum verbis: „mox viro ac patre orbatam" [3]). Juliam, quae vixit usque ad 89 vel 90 p. C., per quinque annos viduam, Domitianus curis suis tutelaeque suae relictam ad se receptam secum habitare fecit (συνῴκει) eamque multum gratia valuisse apud patruum, dum praeter illam *nulla mulier Domitiano vivo in Republica quidquam valuit,* inde apparet, quod ejus rogatu Ursus, quum Imperatori obstitisset, capitis poena absolutus est, postea consulatum accepit [4]).

Ergo Ursus gratus fuit Juliae, quamquam Domitiam Imperatori reconciliaverat! Certe suspicionem movit, quod Julia cum Domitiano habitabat; nam impudicitiam, stupra, multa ejusmodi crimina multi recordabantur ex aulis priorum Caesarum. Fama vera an falsa ea omnia attulerit, nihil ad rem; sed miror, Juliam abortu periisse post quintum demum annum consuetudinis cum patruo, et nonnullos pro certa mortis causa divulgasse remedia graviditatis, quae unumquemque latuissent. Breviter et sine ulla mentione mortis coactae Zonaras rumorem nobilium factionum protulit: »*κατηλλάγη μὲν τῇ Δομιτίᾳ, ἐχρῆτο δ' οὐδὲν ἧττον τῇ Ἰουλίᾳ.*" Quo vero multo ornatior est fabula loquacis Philostrati, quae docet res tenuis-

[1]) Suet. *Dom.* 22. [2]) *Ibidem* 10. [3]) *Ibidem* 22. [4]) Dio LXVII, 4.

simas quidem fama et rumoribus augeri. Postquam enim sermo incidit de nobilissima Virginum lustratione »ἅς ἁγνῶς τὴν Ἰλιάδα Ἀθηνᾶν (!) καὶ τὸ ἐκεῖ πῦρ καθαρεύειν ἔδει," pergit »εἰ γὰρ καὶ σύ, ἔφη, Ἥλιε καθαρθείης τῶν ἀδικῶν φόνων, ὧν απασα ἡ οἰκουμένη μεστή νυν. καί οὐδὲ ἰδίᾳ ταῦτα ὥσπερ οἱ δειλοί αλλ' ἐν τῷ ὁμίλῳ καί ἐς παντας ἐκήρυττε τε καί ηὔχετο. ἐπεί δὲ Σαβῖνον ἀπεκτονὼς εἴη ἕνα τῶν ἑαυτοῦ ξυγγενῶν Ἰουλίαν ἤγετο. ἡ δὲ Ἰουλία γυνὴ μὲν ἦν τοῦ πεφονευμένου Δομετιάνου δὲ ἀδελφιδῆ, μία τῶν Τίτου θυγατέρων (!) ἔθυε μὲν η Ἔφεσος τοὺς γάμους, ἐπιστὰς δὲ τοῖς ἱεροῖς ὁ Ἀπολλώνιος "ὦ νὺξ, ἔφη, τῶν πάλαι Δαναίδων ὡς μία ἦσθα [1])."

Ex his paucis verbis vides, quantas fabulas Philostratus composuerit, et quo modo Romani sibi historias narraverint. Quamobrem ne minimum quidem fidei habeamus scriptoribus talium rerum, sed ne Suetonio quidem Pliniove, si quidem suspicio est, eos ira vel studio rumores admisisse in libros suos. Imo, quod gravissimum a nonnullis aestimatur si nexus rerum idem apud duos tresve scriptores est, nihil amplius constat, quam illos eosdem rumores scripsisse.

Iterum calumniae historicorum oppono adulationem Martialis, qui certe ficta aut mentita non misit ad Caesarem gravem et severum et in filium Domitiani viva Julia cecinit [2]):

Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila
Et totam Phrixi Julia nebit ovem

Iuliam consecratam matronas Romanas coluisse ostendunt versus [3]):

Dum voce supplex dumque ture placabit
Matrona divae dulce Julia numen.

Statuamque ejus in sepulcro celebrat poeta versibus [4]):

Quis te Phidiaco formatam, Julia coelo
Vel quis Palladiae non putet artis opus.

[1]) *Vit. Ap.* VII, 7. [2]) VI. 3. [3]) IX. 1. [4]) VI. 13.

Num Domitianus audierit, quid homines de se divulgarent, dubito. Nam perraro post principatum initum inter eos versabatur, et, ut saepe Caesares, extra Romam habitans, curis Reipublicae se dedebat in Albano, quo pauci admittebantur. Servavit Suetonius testimonia peritiae sagittandi et jaculandi ejus [1]). Hinc jam nobis dubia fit fides eorum, qui Domitianum etiam initio principatus nihil aliud fecisse dixerunt, quam muscas stilo configere, de quibus nugis relatis Dio [2]) quidem se excusat. Id, ait, etsi indignum est gravitate historiae, tamen quod abunde Domitiani morès ostendit, necessario scribendum putavi, potissimum quum creatus Imperator idem fecerit. Ex quo facete responsum est a quodam interroganti: quid ageret Domitianus? solus est, ne musca quidem cum eo. Non deerunt, qui mecum consentiant, perpetuam solitudinem Caesaris causam fuisse jocosi responsi et ex ea fabulam natam esse. Nam de ipsa re siluit Tacitus, quo nullum certiorem ducem de rebus ante principatum Domitiani, neque infestiorem Domitiano posterioribus annis novimus, sed qui illam rem aut fictam putavit aut infra dignitatem historiae aestimavit. Siluit et is, qui minutissima quaeque de se et de aequalibus suis memoriae prodidit, nec neglexisset Domitianum increpare ob insaniam ejus, Plinium volo, cui locus non defuit illius rei memorandae, e. g. ubi Trajano laudibus sublato Domitiani depingens horrendam imaginem, [3]) „remoramur," inquit, „resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima belua plurimo timore munierat, cum velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. Observabantur foribus horror et minae et par metus admis-

[1]) *Dom.* 19. Cf. Aur. Victor *Epit.* 11. [2]) LXVI, 9. Suet. *Dom.* 3. [3]) *Pan.* 48.

sis et exclusis. Ad hoc ipse occursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non adloqui audebat tenebras semper secretumque captantem nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret." Quamquam igitur tristia et tyranno digna Plinius de Domitiano dixit et magnopere questus est de seclusione nobilium virorum, tamen illi non insaniam adscripsit, qualem Suetonius [1]), qui Domitianum jam triginta annos natum et curis publicis occupatum initio principatus quotidie secretum sibi horarum sumpsisse, nec quicquam amplius fecisse dixit, quam quod e Dione narravimus, nomine Vibii Crispi addito testis rei, quae, quum *solus et secreto* eam fecerit Caesar, ipsum Vibium latere debebat. Qui vir fuerit, cujus testimonio Suetonius et post eum Dio et Aurelius Victor nisi sunt, docet antiquitas [2]). Apud Vitellium enim accubuit, ubi lepida et bona sua verba edidit eademque comitate, qua postea in aula Flaviorum satelles, moribus non egregius, facundia saepius notata a scriptoribus (qui, quando expedit, joca a seriis non secernunt) se variis civitatis partibus intermiscuit, quod illi non honori ducitur a Juvenale [3]).

..... venit et Crispi jucunda senectus
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium; maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Saevitiam damnare et honestum afferre liceret,
Consilium? sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit bracchia contra

[1]) *Dom.* 3. Claudium quoque, ubi ad otium concessit, pessima quaeque egisse, scripsit Suetonius, *Claud.* 5, 33, Cf. Stahr. *in Agripp.* p. 328.
[2]) Dio LXV. 2. Tac. *de Or.* 8. [3]) IV, 81.

Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.

Tacitus [1]), non minus quam poeta infestissimus Caesari, ignaviam dolosamque dulcedinem Crispi odit, quem inter nobiles maluit non adspicere quemque satis diserte contemnit verbis: „Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationem factitaverat, ad cognitionem Senatus vocabat" ..... „Mox damnatus est Faustus, nequaquam eo adsensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat, quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat." Ob delationes quoque a Montano et Helvidio Vibius perstringitur, ita ut ille et Eprius Marcellus ex Senatu excedere vellent, ambo infensi vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens. Multo vero acerbius est judicium Curiatii Materni de eo: „Nam Crispus iste et Marcellus ..... quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent, an quod timentur? quod cum quotidie aliquid rogantur ii quibus * * praestant, indignantur? quod adligati adulatione nec imperatoribus umquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent" [2]). Locupletatus est tantopere Crispus et proconsulatu Africae sub Vespasiano et delationibus Romae factitatis, ut apud Martialem [3]) proverbium valeat: „divitior Crispo ..... ", qui simul sordes divitis et potentis hominis jocose notat [4]):

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori. Cui dedit ergo?.... Sibi!

[1]) *Hist.* II. 10; IV. 43. [2]) *de Or.* 13. [3]) IV. 54 [4]) V. 32, Cf. X. 14, XII, 36. X 2.

Statuas Crispi Romae fuisse ab eodem significatum videtur, fortasse ob eloquentiam summam facundiamque, quas Quinctilianus [1]) laudat, eum virum fuisse dicens „ingenii elegantis atque jucundi, compositum et delectationi natum, privatis tamen causis quam publicis meliorem." Itaque ex iis, quae de Crispo legimus, sequitur, ut injuria ejus verbis scriptores rerum fidem habuerint, quam sententiam me multo doctior Beulejus confirmat: „ Chaque jour Domitien se renfermait pendant une heure pour méditer, rentrer en lui même et tracer probablement un plan de conduite. Les familiers, qui se sentaient exclus et impuissants, prétendaient qu'il ne faisait pendant ce temps rien autre chose que de percer des mouches avec un poinçon. Vibius Crispus, qui se morfondait dans l'atrium avec les autres courtisans, pouvait répondre plaisamment, lorsqu'on lui demandait, s'il n'y avait personne avec l'empereur: „Non, pas même une mouche [2])."

[1]) V. 13, 48, X. 1, 119. [2]) *Titus et sa dynastie* (IV), 265. Omnem modum excessit Imhoffii solutio nodi de Domitiani solitudine. „Nachdem er einige Zeit in einsamen Grübeleien zugebracht hatte, was immer ein Merkmal grausamen Vorhabens war." *Tit. Flav. Dom.* p. 51.

VII.

DE AEDIFICIIS DOMITIANO IUBENTE EXSTRUCTIS.

Imitatus Domitianus Augustum, vel potius Neronem, multum curae in eo collocavit, ut artes, quae animum ad ea, quae summa atque optima sunt, erigunt atque excitant, Romae colerentur, quibus artibus alendis inter cives potentes excellere Caesar cupisse videtur. Romae itaque nunquam tanta opulentia aedificatum est, quam sub Flaviis, quorum aedificiorum hodie etiam multa cognoscuntur, quae firmitate ac splendore superant omnia aedificia praecedentium saeculorum. Namque et Christiani, quamquam longe diversi ab aequalibus suis et ad quorum fidem nobilissimae familiae se converterant, usum largiter et ample aedificandi, ut honorem mortuis atque Deo summo tribuerent, secuti sunt, et praesertim in catacombas et κοιμητήρια magnos sumptus fecerunt [1]). Augustum injuria gloriatum esse, se marmoream relinquere urbem, quam latericiam accepisset, [2]) quae verba

[1]) Dr. Holtzmann in libello: *Rom.* 1874, initio. [2]) Suet. *Aug.* 28. Dio LVI, 30

Suetonius tradidit, affirmant illi, qui recentioribus diebus antiqua monumenta et fundamenta viserunt quique testantur, Neronem et ultimum natione Romanum Caesarem tam multitudine quam opulentia aedificiorum Augustum superasse. Frequentibus enim incendiis spatio orto Neroni facultas data est vias sternendi ampliores atque latiores et domum auream aedificandi, cui Flavii postea Colosseum et Thermas imposuerunt, ut memoriam invisi Imperatoris delerent (post annum LXXX nostrae aerae). Etiamnunc exstant series cubiculorum domus aureae, porticus, coenatoria, dormitoria, cet. Multitudo autem aedificiorum Flaviorum et Antoninorum ostendit, quam necessarium Imperatoribus fuerit, ut cupidini vulgi cederent, cujus favore potentia eorum maximam partem niteretur. Domitianum, cui nempe per hereditatem obvenisset, quod Imperium pater fraterque pugnis et proeliis affectaverant, praeterea cupido memoriae humilis ortus delendae stimulabat [1]). Itaque domum humilem ad Malum Punicum mutavit in Templum, genti Flaviae sacrum, unaque cum templo collegium Flavialium sacerdotum, qui eundem ordinem tenerent parique habitu atque Dialis sacerdos essent, instituit, et patri fratrique inter divos relatis commune templum sub Tabellarium. In Titi honorem perfecit arcum Triumphalem. Contra vulgarem opinionem Beckerus [2]) ad Notitiam annotavit: Inter Sallustii hortos et thermas Diocletiani Notitia enumerat gentem Flaviam, quo nomine intellegatur sepulcrum Flaviorum, a Domitiano aedificatum, quod templum gentis Flaviae solet vocari,

[1]) *Et statui rerum et libidini* principis Imhoff. (p. 83) aedificia adscripsit, sed post duo versus idem dicit „auch der verständigste Fürst und gerade dieser würde sich der Nothwendigkeit ausgedehnter und kostspieliger Bauten in Rom während der Regierungszeit Domitians nicht haben entziehen können." Cf. Suet. *Dom.* 1 4. Mart. *Ep.* IX. 3. 28.
[2]) *Römische Alterthümer* I. 586.

quia tanquam fanum (ἡρῷον) institutum atque consecratum fuit sepulcrum, et certo scimus, Juliae Titi cineres ibi positos et clam cum Domitiani cineribus commixtos esse. Verisimile est, ut Vespasianus etiam ibi quieverit. Tamen argumenta allata Beuleo [1]) non persuasisse videntur.

Ille, qui genti Flaviae futura semper
Sancit limina Flaviumque culmen [2]).

sibi juxta lacum Curtium illustrem statuam equestrem magnam molem, erexit Statii carmine celebratam,

Par operi sedes, hinc obvia limina pandit — c. q. s. [3])

Juxta Pantheon [4]), quod Domitianus magnifice restituendum curaverat, quum incendio sub Tito damnum accepisset, situm erat Minervae Chalcidicae templum in Campo Martio. Permulta alia templa illi deae Janusque permultos instituit. Aedificia magnificentissima dis sacra, crebris incendiis deleta, restituit, quorum summum erat Capitolium, non propter opes ibi cumulatas, sed propterea quod Jovis templum domicilium cultus deorum fuit, cum quo servato florentem statum Reipublicae plurima pars populi conjunctum putabat [5]). Post bellum Vitellianum Vespasianus, cum eximio gaudio omnium civium, cura L. Vestini, viri fama atque auctoritate inter proceres, restituerat, sed non diu incolume mansit. Nam decimo anno post (Tito VII Dom. VII Coss.), quum Titus in Campaniam misisset auxilium laturos iis, qui ex eruptione Vesuvii damna ceperant, ignis repente ortus Urbis magnam partem comsumpsit, cujus praecipua aedificia Dio enumerat haec: Serapeum, Isaeum, Septa, Posidonium, Agrippae balnea, Pantheum, Diribitorium, Thea-

[1]) *Titus, etc.* pag. 270. [2]) STAT. *Silv.* IV. 3. 88. [3]) *Silv.* I. 1. 22. MERIVALE *Hist. of the Romans*, 316. [4]) F. ADLER *Das Pantheon zu Rom.* 1875. [5]) TAC. *Hist.* IV. 53.

trum Balbi, Scena Pompeji, aedificia Octaviana, una cum libris, Templum Iovis Capitolini cum proximis templis Junonis et Minervae. Tribus diebus incendium delevit omnes in campo Martio sitas aedes, quarum nullas Titus, quoniam paullo post obiit curisque Campaniae per breve vitae spatium distinebatur, restituit, sed quam restituendi operam Domitianus suscepit. Quod Aurelius Victor his verbis significat: „multa opera inchoata per patrem vel *fratris studio* atque in primis Capitolium absolvit" [1]) meritoque Martialis [2]) summis laudibus Caesarem tollit:

> Quantum jam superis Caesar coeloque dedisti
> . . . .
> Tibi quod solvet non habet arca Jovis.

Non obstant Aurelii Victoris verba marmori Fratrum Arvalium, quod significat Titum Iovis Capitolini templi restituti initium fecisse. Nam ob causas memoratas marmor illud ad solas substructiones pertinere puto, et si Romani illum pro auctore habebant, qui opus quoddam ad finem duxit, non injuria Domitianus se restitutorem dixit, neque necesse fuit fratrem participem faceret gloriae aedificiorum, quam ob rem omissam Suetonius eum vituperat.

Inter eos, qui de restituto Capitolio posteritati tradiderunt, est Plutarchus [3]), cujus vero verba *„ἅμα τῷ τελευτῆσαι τὸν Οὐεσπασιανὸν ἐνεπρήσθη τὸ Καπιτώλιον. ὁ δε τέταρτος οὗτος ὑπὸ Δομετιάνου καὶ συνετελέσθη καί καθιερώθη"* vitiosa sunt. Nam certe Plutarchus scripsit *τὸν Οὐεσπασιανοῦ υἱὸν*, quae verba scribae manibus in unum coaluerunt, ut perspicuum est e verbis praecedentibus *„καί φθειρόμενον μετ' ὀλίγον οὐκ ἐπεῖδεν"* (Vesp.) et ex historiis Dionis Cassii [4]). Plutarchus

[1]) VICT. *de Caes.* XI. Cf. EUTR. VII. 21. [2]) IX. 3. [3]) *Vita Popl.* XV. [4]) LXVI. 24. anno 81 p. C.

autem scripsit: „Λέγεται δὲ Ταρκίνιον εἰς τοὺς θεμελίους ἀναλῶσαι λίτρας ἀργυρίου τετρακισμυρίας. τούτου δὲ τοῦ καθ' ἡμᾶς τὸν μέγιστον ἂν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἰδιωτικῶν πλοῦτον ἐκλογισθέντα τὸ τῆς χρυσώσεως μὴ τελέσαι ἀνάλωμα, πλέον ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον. Οἱ δὲ κίονες ἐκ τοῦ Πεντέλησιν ἐτμήθησαν λίθου, κάλλιστα τῷ πάχει πρὸς τὸ μῆκος ἔχοντες. εἴδομεν γὰρ αὐτοὺς Ἀθήνησιν. Ἐν δὲ Ῥώμῃ πληγέντες αὖθις καί ἀναξυσθέντες οὐ τοσοῦτον ἔσχον γλαφυρίας ὅσον απώλεσαν συμμετρίας, πέρα τοῦ καλοῦ διακενοί καί λαγαροί φανέντες. Ὁ μέντοι θαυμάσας τοῦ Καπιτωλίου τὴν πολυτέλειαν, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκίᾳ Δομετιάνου στοὰν ἢ βασιλικὴν ἢ βαλανεῖον. ἢ παλλακίδων δίαιταν οἷόν ἐστι τὸ λεγόμενον Ἐπιχάρμου πρὸς τὸν ἄσωτον. Οὐ φιλάνθρωπος τὺ γ'ἐσσ' ἔχεις νόσον, χαίρεις δίδους. τοιοῦτον ἄν τι πρὸς Δομετιανὸν εἰπεῖν προςχρῆθη. Οὐκ εὐσεβὴς, ουδὲ φιλότιμος τύ γ'ἐσσί. ἔχεις νόσον. χαίρεις κατοικοδομῶν, ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἅπαντα σοὶ χρυσᾶ καί λίθινα βουλόμενος γενέσθαι. Ταῦτα μὲν οὖν περὶ τούτων. Schäferi [1]) sententiam, sibi Plutarchum videri, non tam ut Graecos artfices Romanis praeferret κακιζότεχνον, quam ut philosophus Domitianum vellicaret confirmavit Octavus Gerardus [2]) verbis: „La vérité historique n'est pas l'objet qu'il se propose." At si vitium Domitiano fuit splendide atque opulentissime aedificare, id vitium temporis et ditissimi cujusque fuisse, ostendunt scriptores, qui mores populi Romani sub Caesaribus descripserunt [3]).

Capitolio restituto Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit, in memoriam periculorum suorum in bello Vitelliano [4]). Lapides ceteraque in usum aedium sacrarum ab omni contaminatione pura habebantur. Quamobcausam monumentum, quod libertus quidam Imperatoris e lapidibus, templo Capitolini Iovis destinatis, filio exstruxerat di-

[1]) PLUT. *opera* IV p. 326. [2]) *De la morale de Plutarque*, praef. VIII.
[3]) JUV. *Sat* XIV, 86—95 et passim ibique editores. Vide FRIEDLÄNDER *Sittengeschichte der Römer*, III. in Indd. [4]) TAC. *Hist.* III, 74, IV, 53

rutum est a militibus ossibus et reliquiis, quae inerant, in mari mersis, quae res etiam audaciae libertorum principis indicio est [1]).

Forum, quo Janus quadrifontis imago posita erat quodque Basilica aut Transitorium (vel Pervium) dicebatur, Domitianus instruxerat, perfecit Nerva, unde forum Nervae vocatum est, et superbus Severus exemplo divi Augusti statuis ornavit [2]). Nunc etiam exstat pars muri cum duobus columnis et tabulamento, in quo Minerva mulieres opera sexus docet. Ad exemplar odeorum Atheniensium novum odeum Domitianus aedificandum curavit in usum certaminum musicorum et gymnasticorum, itemque naumachiam. Dio, qui de Domitiani aedificiis non plura dicit, quam de ejus justitia et bona Imperii administratione, odeum, forum gymnasiumque curis Trajani artique Apollodori Damasceni, architecti scriptorisque opusculi *τὰ πολιορκητικά*, qui exul interfectus est, adscripsit. Verum ut omnia aedificia referantur ad Domitianum persuadent parsimonia Trajani, major quam ut illi tanta tamque magnifica aedificia aliquo jure possint adscribi, senectus Nervae, cui nec vis nec vitae spatium fuerunt, et Plinii verba in Panegyrico, a quibus nec invidia in Domitianum, nec adulatio Trajani absunt. „Idem tam parcus in aedificando quam diligens in tuendo: itaque non ut antea immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur: stant securae domus, nec jam templa nutantia" e. q. s. In Naumachia, lacu arte fabricato, septa vallo ex gravissimis lapidibus composito, inde ab initio principatus pugnae habebantur, quas Romani omnium ludorum maxime amabant. Sed Trajanus Circum Maximum, cujus muri sub Nerone incendio deleti erant, restituturus et ampliaturus

[1]) Cf. STAHR *Agrip.* p. 50 sqq. [2]) AEL. LAMPR. *Alex. Sever.* I, pag. 247, 28; (ed. Teubn.) Vid. BEULÉ *Titus et sa dynastie* 271.

in eum usum lapides permagnos, a Domitiano ad Naumachiam allatos, adhibuit. Colosseum a Tito inchoatum votumque, antequam finitum erat, Domitianus perfecit. Splendidissimas omnium aedes publicas a Beulejo descriptas reperit Rosa. Laudata sunt apud Imhoffium et apud topographos Urbis Romae alia aedificia, Domitiani temporibus condita, quorum nos ea sola attigimus, quae ad illustrandam imaginem Domitiani pertinerent, eaque, in quibus recusanda erat scriptorum invidia. Imperatori autem non solum opulentiam suam vulgi oculis proponere cordi fuisse, sed etiam artes liberales colere, Aurelius Victor et Suetonius indicant eo, quod Domitianum initio Imperii fecisse dicunt: „Octavianas bibliothecas sub Tito incendio absumptas, impensissime reparandas curavit exemplaribus undique petitis missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque." [1]).

[1]) Suet. *Dom.* 20.

VIII.

DOMITIANUS BELLI DUX.

Tertio principatus anno Domitianus certior factus est de tumultibus Germanorum semper turbulentorum. Fuit praecipue Chattorum gens, contra quam expeditio comparanda erat. Dionis verba, initio capitis, „μηδ᾽ἑορακώς-που πόλεμον [1]) (alii πολέμιον)" corrupta ad nos pervenisse apparet ex Suetonii verbis exque iis, quae apud Dionem sequuntur. Ante enim principatum Domitianus simul cum Muciano contra Germanos pugnaverat, unde nomen Germanici sibi assumpserat. Sed quicquid Xiphilinus scripsit, secum pugnat, causam belli capite insequenti docens hanc: Chariomerus rex a Cattis imperio propter amicitiam populi Romani ejectus sociis nonnullis sibi adjunctis in recuperando regno superior evasit; postea ab illis desertus, quum populo Romano obsides misisset, Domitianum supplex auxilia orabat; auxiliis vero non impetratis pecuniam accepit. Causa igitur belli fuit amicus populi Romani ad angustias redactus, ab Imperatore auxilium exspectans: itaque verbum „sponte" a Suetonio adjectum cum vero non convenit.

[1]) LXVII, 4. Cf. 5.

Memorabilis est Zonarae locus, fortasse e Dione petitus: »καὶ μετὰ ταῦτα εἰς Γαλατίαν ἐξορμήσας καί λεηλατήσας τινὰ τῶν πέραν Ῥήνου ἐνσπόνδων ὠγκοῦτο ὥς τι μέγα κατωρθωκὼς καὶ τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν τάχυ διά τὴν νικήν. πέντε γὰρ καί ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου λαμβάνοντος ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι. μεταμεληθεὶς δὲ τὴν ποσότητα οὐκ ἐμείωσε, τὸ δὲ πλῆθος τῶν στρατευομένων συνέστειλε. καί ἑκατέρωθεν μέγαλα τὸ δημόσιον ἔβλαψε, μηθ'ἱκάνους τοὺς ἀμύνοντας αὐτῷ καί τούτους μεγαλομίσθους ποιήσας [1])." Ad quae Zonarae verba Taciti traho haec: „derisui fuisse nuper falsum de Germania triumphum, emtis per commercia quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur"; et haec: „proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt" (Germani) [2]).

Sed minime gentium Tacito credo dicenti, Domitianum, fortem virum et ambitionis plenum, iterasse quae Caligulae stultitia invenerit. Imo Domitianum majestatem populi Romani apud barbaras gentes auxisse victoriamque ab armis Romanot rum stetisse testatur Aurelius Victor [3]), sine nugis aut ambagibus referens: „Imperatorem Dacos Cattosque manu devicisse". Adjicit Frontinus [4]) modum, quo Caesar rem gesserit. „Cum" inquit „Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret majore belli molitione inituros, si adventum tanti ducis praesensissent, profectionem suam censu obtexuit. Subito hostibus inopinato bello adfusus, contusa immanium ferocia nationum, *provinciis consuluit.*"

Item: „Eo bello, quo victis hostibus cognomen Germanici meruit, cum in finibus Cattorum castella poneret, pro fructibus locorum, quae vallo comprehendebat, pretium solvi jussit: atque ea justitiae fama omnium fidem adstrinxit [5])." Quan-

[1]) p. 580 B. [2]) *Agr.* 39. *Germ.* 37. [3]) *De Caes* XI *Ep.* XI.
[4]) *Strat.* I. 1. 8. [5]) *Ibidem* II. 11. 7.

tum distat ab Frontino Plinius [1]) Domitiani res cum Trajani rebus conferens. „Quam" inquit „dissimilis nuper alterius principis transitus! si tamen transitus ille, non populatio fuit, cum abactus hospitam exerceret, omniaque dextra laevaque perusta et attrita, ut si vis aliqua vel ipsi illi barbari quos fugiebat inciderent. Persuadendum provinciis erat illud iter Domitiani fuisse, non principis." Adulatione Plinium inductum esse, ut mentiretur, Imperatorem barbaros fugisse, iterum Frontinus [2]), vir militaris, cui in illa re majorem fidem habeas, docet, qui de arte Caesaris strategica argumentum servavit hoc: „Imperator Caesar Domitianus Augustus Germanicus, cum subinde Catti equestre proelium in silvas refugiendo diducerent, jussit suos equites, simul ad impedita ventum esset, equis desilire pedestrique pugna confligere. Quo genere consecutus est, ne quis non loci ejus victoriam miraretur."

Si igitur de variis fragmentis de his rebus comparatis detrahimus depopulationes, quas Plinius et Zonaras retulerunt, sed de quibus is, qui expeditionibus interfuit, tacuit, reliquum est, ut dicamus, Imperatorem militum animis post victoriam muneribus donisque sibi divinctis et finibus imperii constitutis numerum copiarum minuisse. Foedera cum Chattis icta esse poeta, cum Frontino consentiens, ostendit [3]).

„Nec plura moratus
Romuleum reseras iterum Germanice limen
Maerentemque foves inclinatosque penates
Erigis. Haud mirum, ductor placidissime, quando
Haec est, quae victis parcentia foedera Cattis
Quaeque suum Dacis donat clementia montem,
Quae modo Marcomannos post horrida bella vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho."

[1]) *Pan* 20. [2]) II. 3, 23. [3]) STAT. *Silv.* III, 1, 68.

Merivalii judicio de iis expeditionibus, quod Alcuin Hollaender confirmat, subscribendum puto. „Yet the contempt with which the campaign is treated bij some of our authorities seems hardly justified. One military writer, attached perhaps to the Emperor's suite, and though a courtier bij position, a man who at least had good means of knowing the circumstances, speaks of it with warm but not overweening applause .... But the weight of the Emperor's sword is rather to be traced in the tranquillity, which continued to reign in this quarter, and in the Romanized population spread throughout the contiguous districts, which enabled Trajan, a few years later, to annex them permanently to the empire" [1]).

Ceteri barbari ex illis regionibus tum ad Domitianum legatos miserunt, ut Semnones, quorum rex Masyas et sacerdos, Ganna virgo, honores quosdam acceperunt et Suevi auxilium petentes, qui vero centum equitibus datis indignati Jazygum gente adscita se ad Istrum trajiciendum parabant. Alias etiam belli causas accessisse apud Zonaram [2]) vidimus: *πολλοὶ δὲ τῶν ὑποτελῶν Ῥωμαίοις ἀφίσταντο χρήματα βιαίως πρασσόμενοι ὡς καὶ οἱ Νασαμῶνες. τούς τε γάρ τῶν χρημάτων πράκτορας ἔφθειραν καὶ τὸν Νουμιδίας ἄρχοντα Φλάκκον ἐπελθόντα σφίσιν ἥττησαν οὕτως ὡς πορθῆσαι καὶ τὸ στρατόπεδον. εὑρόντες δὲ ἐν αὐτῷ ταλλα τε ἐπιτήδεια καὶ οἶνον ἐμπλησθέντες ὕπνωσαν. καὶ γνοὺς ὁ Φλάκκος ταῦτα ἐπέθετο αὐτοῖς καὶ πάντας ἀπώλεσε καὶ τοὺς ἀπομάχους διέφθειρεν ἅπαντας. ἐφ' ᾧ ὁ Δομετιανὸς ἐπαρθεὶς εἶπε πρὸς τὴν βουλὴν ὅτι Νασαμῶνας ἐκώλυσα εἶναι.*

Una cum tumultu Nasamonum Nero quidam bellum movit, nisus Parthis, qui, Flaviis ob Vespasiani injuriam irati, Do-

[1]) *Hist. of the Romans*, VII. 336. Dr. HOLLAENDER, *Kriege der Alamanen mit den Römern* p. 4/5. Nullo modo Imhoff potuit adduci, ut aliquid boni de Domitiano ederet. Cf. *Tit. Flav. Dom.* p. 48 „Domitians Charakter angemessener ist es anzunehmen" c. q. s. [2]) *Ann.* XI. 19.

mitiano molestias exhibebant. Sed et illeet Tiridates, Parthorum rex, mox oppressi sunt, ob quas victorias poetae, Augusti aetate, qui fuerunt, poetas imitati, Domitianum magnifice laudaverunt.

Inter bella sub Domitiano gesta non est majus quam cum Dacis, quorum rex Duras (sive Diurpaneus), quem cum Fusco verisimile est non feliciter pugnam commisisse, sponte Decebalo cesserat. Contra Decebalum, quem populares peritissimum omnium rerum summumque ducebant quemque Dio [1]) summis laudibus tollit quique Romanorum mores bene cognoverat, ipse Caesar pugnatum exiit; si tamen Dioni [2]) credimus, nullam belli partem attingens, in oppido aliquo Mysiae moratus, voluptatibus libidinibusque flagitiosis deditus, singulos post singulos duces misit, qui rebus male gestis Imperatoris animum irritabant. Sed in illius fragmenti verba jurare nolim, non perspiciens, cur Caesar, cui omnium libidinum Romae aut in Albano facultas esset, eas inter barbaras gentes difficillima conditione petierit, et causae satis fuit, cur Domitianus angeretur. Nam Oppio Sabino, viro consulari, profligato ne Cornelius quidem Fuscus, cui praefecto cohortium summa rerum commissa erat, par fuit barbarorum viribus, et ipse comes Imperatoris „vulturibus servabat viscera Dacis" [3]). Fuscum, „marmorea meditatum proelia villa", militem ferocissimum, probatae virtutis, cujus mortem Martialis carmine sepulcrali dolet, secutus est Julianus [4]), e senioribus ducibus exercitui praefectus, qui militum animis singularibus praemiis excitatis singulis occasionem praebuit virtutis ostentandae gloriaeque acquirendae, jubens milites sua centurionumque nomina scutis inscribere, quo facilius, qui praeclari quid

[1]) LXVII, 6. VIII, 2. Mart. *Ep.* VI, 76. Suet. *Dom.* 6. [2]) Ne omnis fides auctori negetur Imhoff, p. 56, Dionis verba vertit in „völlig träger einsamer Ruhe". [3]) Juv. *Sat.* IV. 112. [4]) Tac. *Hist.* I, 79, II. 85, IV, 39, 40.

fecissent agnoscerentur. Itaque apud Tapas pugna commissa plurimi barbarorum ceciderunt, in quorum numero etiam Vezinas fuit, qui post Decebalum secundas partes agens morte simulata noctu aufugit. Quantum timorem Romani barbaris injecerint, dolus ostendit, quem Vezinas, dicitur adhibuisse, ut illi se reciperent. Barbari enim metuentes, ne milites Romani usque ad domos suas progrederentur, victores e proelio egressi, arborum quasdam ceciderunt, quarum truncos armis indutos Romani pro hostibus conspicati veriti regredebantur. Verum istum dolum, qui omnino dolum a multo callidiore Spartaco [1]) olim inventum sapit, ex eodem fonte emanasse puto, ex quo rumor de Domitiani libidinibus et voluptatibus stante bello prodiit. Nunquam vidi scriptorem rerum tam credulum, quam eum, qui hoc dolo factum esse scripsit, ut Julianus, quem quidem e Taciti libris novimus, post victoriam seriem arborum immobilium pro hostibus conspicatus, regressus sit.

Bello Dacico Quadi et Marcomanni auxilia Romanis negaverant, quam ob causam Domitianus iis bellum intulit, legatis pacis petendae causa missis occisis. In Pannoniam autem profectus militibus vexatis cladibus atque morbis Decebalo, quo se altero hoste liberaret, pacem obtulit Diegimque missum, qui faceret, armis jam captivisque traditis, ut sibi potentissimi et fortissimi illius gentis viri animum conciliaret, Domitianus regem appellavit diadema ei imponens. Hanc talemve causam, qualem diximus, fuisse, cur Caesar Diegim honore regio affecerit, apparet ex eo, quod aliis quoque modis barbaros Reipublicae adjunxit. Nam magnam pecuniae vim et opifices variorum artium peritos, tam bello quam paci utiles, eo transferri jussit et ea, quae ad effeminandos animos eorum, qui longissime ab humanitate et cultu

[1]) Front. *Strat.* I. 5, § 22.

abessent, pertinerent, quam ob rem minus prudenter Trajanus Decebalum coegit remittere ea, quae Domitianus miserat [1]).

Triumphum agens Caesar Romam rediit legatis captivisque prosequentibus militibus praemiis ex Augustali aerario, ubi praeda deficeret, donatis. Sed a quo tempore Claudius et Caligula populum decepisse ferebantur, nulla victoria a gentibus barbaris reportata non suspecta fuit; et Decebali literas ad Domitianum nonnulli fictas fuisse perhibebant. Nos, si quidem fidem habemus Plinio, laudes poetarum [2]) ob victorias vanas fuisse existimaremus et potius minutam quam auctam Reipublicae dignitatem diceremus. Ille enim in Panegyrico [3]): „Ergo" ait, „sustulerant animos et jugum excusserant, nec jam nobiscum de sua libertate sed de nostra servitudine certabant, ac ne indutias quidem nisi aequis conditionibus inibant, legesque ut acciperent, dabant." „Accipimus obsides ergo, non emimus, nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur ut vicerimus." „Accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus nec falsae simulacra victoriae, sed imperatorem veram ac solidam gloriam reportantem." „Videor jam cernere non spoliis provinciarum et extorto sociis auro sed hostilibus armis captorumque regum catenis triumphum gravem." Agnosco tumidum scriptorem exaggerata altius oratione res exponentem, ignaviter praecedentis Caesaris gloriam supprimentem, quo vivi Caesaris tollat. Nam, etiamsi multi milites ceciderint, et duces celeberrimi clades passi sint, tamen nulla pars Imperii sub Domitiano periit.

[1]) Cf. Merivale: *Hist. of the Rom.* VII, 344. [2]) Mart. *Ep.* IX, 102, V, 3. [3]) §§ 11, 12, 16, 17. Cf. 41, 82.

IX.

DE TRIUMPHIS DACICIS.

Nunquam Romae splendidiorem triumphum quisquam egit quam Domitianus de Dacis. Jani fores clausae sunt, omnibus locis statuae Caesaris erigebantur, imagines aureae et argenteae ubicunque, inprimis in Capitolio, fulgebant et ut jam antea Septembris mensis Germanici, sic tunc Decembris Domitiani nomen assumpsit. Injuria Plinius [1]) Senatorum animos serviles verberat ob adulationem, quae sub divo Julio et Augusto in usu esse coeperat, dicens „nunc menses etiam nec hos singulos nomini Caesarum dicabamus. Patiebantur illi et quasi meruissent laetabantur." Sed e Plinii, unius e Senatoribus, verbis patet, Suetonium [2]) rem falso exposuisse ab Imperatore jussam. Nam „post, inquit, duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem Octobremque ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset." Octobris mensis transnominationem e Dione cognoscas,

[1]) *Pan.* § 54. [2]) *Dom.* 13. Cf. Macrob, *Sat.* I, 12 (ed. Pontanus p. 213.)

Septemoris ex Eusebio ob victorias de Germanis, de quibus Martialis conferas versus [1]).

Dum Ianus hiemes, Domitianus auctumnos,
Augustus annis commodabit aestates;
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum; cet.

et Statii versus:

.... nondum omnis honorem
Annus habet cupiuntque decem tua nomina menses

Post Caesaris mortem menses vetera sua nomina receperunt [2]). Senatoribus divitibusque inter se certantibus statuis ponendis Caesar admirationem populi excitabat ornandis Urbis regionibus tantis Janis arcubusque cum quadrigis et insignibus triumphalibus, ut cuidam Graece inscriptum sit *ἀρκεῖ*, et poëta multorum civium sententias significaverit verbis: „Hos aditus Urbem Martis habere decet" [3]). Statuas autem, si in Capitolio ponebantur et aureae argenteaeve erant, nisi certi ponderis Domitianus fieri non passus est. Quod jussum in aliis Imperii partibus valuisse non affirmandum videtur, et extra Capitolium alias statuas fuisse ex Statii carmine in statuam equestrem aeneam exque reliquiis marmoreis, quae supersunt, apparet. Quae quoniam ita sunt, non intellego, quomodo Plinius [4]), Suetonius [5]) et Dio [6]) hoc factum Domitiano in malum verterint.

Ceteri honores Domitiano a senatu decreti erant, consulatus in decem annos, censura quamdiu viveret, comitatus viginti quatuor lictorum, ususque vestis triumphalis, quoties in Senatum veniret, de quibus rebus omnibus Xiphilinus nos certiores facit non sine invidia et odio in Caesarem. Qui unus nobis auctor est vestis triumphalis et lictorum numeri aucti, quamquam *non necessarium* duxit commemorare ea, quae tum Do-

[1]) IX, 1 STAT. *Silv.* IV. 1, 42. [2]) PLUT. *Numa*, 19. [3]) MART. *Ep.* VIII, 65 [4]) *Pan.* § 52. [5]) *Dom.* 13. [6]) LXVII, 8.

mitiano, ut ceteris ejus simillimis Imperatoribus, tributa sunt. Verum omnium stultissimum narrat Dio, Caesarem nempe laetitiam ludosque populo praebentem potentes viros quam plurimos e medio sustulisse, partim reos factos in Senatu, partim absentes accusatos, nonnullos quoque ex insidiis clam venenis, (qui vero modus interficiendi priorum temporum sub Flaviis non reperitur) ut haberet unde sumtus faceret, quam rem *facilem ad credendum* Xiphilinus [1]) putat, ego non puto. Nam primum nemo aliud quid quam optima quaeque ex illis diebus memorat; tum nomina occisorum non addita sunt; deinde Dio post unamquamque rem alicujus momenti caedes clam palamve patratas memorat; denique de penuria tertii Flaviorum nemo nisi Dio loquitur.

Miro modo posteriores Domitiano in malum verterunt res, quas aequales Caesaris ejus honoris causa fecerunt, sicut Ausonius [2]) verbis: „Domitianus septemdecim Consulatus, quos ille invidia alteros provehendi continuando conseruit" Plinium secutus est, qui ad Trajanum scripsit: „Non te ad exemplar ejus voco, qui continuis consulatibus fecerat longam quandam et sine discrimine seriem" [3]). Verum Domitianus anno

[1]) Dio LXVII 4. s. f. „ὡς εἰκός." [2]) *ad Grat*: § 27. [3]) *Pan.* 50. Cf. Series annorum et rerum in Dionis ed: Sturz: et Tabulae missionis honestae anni 86 p. C., quae est Romae in Capitolio. ZELL. *Epigr*: II No. 1842. „Imp. Caesar divi Vespasiani F. Domitianus Augustus Germanicus Pontifex maximus Tribunic. potestate. V. Imp. XII. Censor. perpetuus Cos. XII. P. P. equibus et pedbus, qui militant in alis duabus, quae appellantur Veterana Gaetulorum et I Thracum Mauretana et cohortibus quattuor I Augusta Lusitanorum et I et II Thracum et II Cantabrorum et sunt in Judaea sub Cn. Pompejo Longino, qui quina, et vicena stipendia meruerant, quorum nomina subscripta sunt ipsis liberis posterisque eorum civitatem dedit et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data aut siqui caelibes essent, cum iis quas postea duxissent dumtaxat singuli singulas. A. D. III. Idus Maias. Sex. Octavio Frontone. Ti Julio Candido Mario Cels. Cos. Coh. II. Thracum, cui praest Claudius Montanus, equiti Seuthe Traibhiti F. Col. Oletic.

835 Cos. VIII, anno 848 Cos. XVII, non continuos gessit honores decretos sed, medio jam consulatuum cursu, necesse est post Germanicum bellum confectum sic acceperit, ut coeptis tot adderet donec decem continuos explesset. Quum pater et frater censores appellati essent, ejus titulo ob eximias Reipublicae curas verbum „perpetuum" additum est.

Plebem Romanam, nunquam oblitam „panis et circensium," Domitianus sibi adjunxit ludis edendis. Statim postquam principatum adeptus est edidit spectacula assidue magnifica et sumtuosa multoque ampliora quam quae Titus ediderat [1]); in Circo praeter sollemnes bigarum quadrigarumque cursus proelium etiam duplex equestre ae pedestre commisit, post reditum a Cattis duo aurigarum genera, auratas purpureasque circensium factionibus addidit multiplicavitque colores, ut plures inter se certarent palmarumque numerum augeret. Ne per diuturnitatem ludorum spectatores fame vexarentur, jussit cibos afferri, quo quisque loco sederet; si vesperi ludi continuarentur largiter vinum effundendum curabat; praeterea multa alia dona, ut Nero instituerat, populo dabantur. Imperatoris multum interfuisse ludis splendorem addere, Suetonius indicat diligentissime agens de illis rebus. Itaque ab omni parte terrarum spectatores affuisse credimus Martiali [2]). Venationes et gladiatorii ludi fere semper usque ad id tempus interdiu et a viris gesti, sub Domitiano noctibus etiam ad lychnuchos [3]), augebantur feminarum pugnis, quos mulierum, mores, quae omnem ruditatem viris propriam exercebant, Juvenalis et alii illius aevi scriptores dolent. Virorum nobilissimorum venationis amor tantus fuit ut Plinius [4]) amico suo Tacito studium literarum inter venandum commendaret, quia „animus agitatione motuque corporis excitetur et

[1]) Suet. *Dom.* 4. Dio LXVII, 8. [2]) I, 3. VII, 78. [3]) Stat. *Sylv.* I. 6, 53, I, 22. [4]) *Ep.* I 6.

Diana non magis montibus quam Minerva inerraret". Quam vero epistolam Tacitum [1]) aequo animo legisse non putem, qui quidem queratur amores ludorum voluptatisque tantopere penetrasse, ut omnem sensum illius „quid deceat, quid non" hebetarent. Jam sub Nerone feminarum illustres senatoresque complures per arenam foedati sunt. „οἱ μὲν ἐθέλοντες, οἱ δὲ καὶ πάνυ ἄκοντες [2])." Tito VIII Domitianus VII Consulibus Titus ludos in amphitheatro edidit, in quibus feminae, sed non „ἐπιφανεῖς," contra feras prodibant. Quod igitur muliebre pugnae genus Domitianus non invenit, neque videtur is matronarum dignitati nocuisse. Sed eum pretium solvisse artificibus, quas docendas curaret, ut gladiatores in ludis, Martialis docet [3]).

Belliger invictus quod Mars tibi servit in armis,
Non satis est, Caesar, servit et ipsa Venus.

Dio [4]) est miratus, in stadio cursu etiam virgines certasse. Sed intra seculum fere ambitio feminarum usque adeo crevit tantaque multitudo se ferociter gerentium obtulit, ut Septimius Severus vetuerit, „ne postea ludi gladiatorii per mulieres exercerentur." „Prisca fides taceat."

Redeamus ad Suetonium [5]) commemorantem per omne gladiatorium spectaculum ante pedes Imperatori stetisse puerulum coccinatum, parvo portentosoque capite, cum quo plurimum fabularetur, nonnunquam serio. Non credo, Caesarem, qui raro in publicum veniret, si quando in theatrum veniret, ubi eum multorum oculi speculabantur atque custodiebant, secum duxisse portentosum quendam, omnibus ludibrio. Sed rem ab uno Suetonio relatam rumorem fuisse, ex eo patet, quod Suetonius etiam res narrat, quae nemo audivit aut scire potuit. Nam „auditus" inquit „est certe Domi-

[1]) Cf. *Ann.* XIV, 20. [2]) Dio LXI, 17. LXVI, 25. [3]) *Ep*: 6. (Teubner pag. 2.) [4]) LXVII, 8. Cf. LXXV, 16. [5]) *Dom.* 4.

tianus, dum ex eo quaerit ecquid sciret, cur sibi visum esset, ordinatione proxima Aegypto praeficere Mucium Rufum". Ex qua fabula, novimus populum Caesari non *τὸ προπετές* adscripsisse, quod Dio, quum eum quidem inter ludos et gaudia curis Reipublicae occupatum fuisse narrarent. Nam fabulam aut rumorem hanc rem fuisse mecum consentiet, qui e Tiberii vita hanc historiam noverit [1]) : „Annalibus suis vir consularis inseruit frequenti quondam convivio, cui et ipse affuerit interrogatum eum subito et clare a quodam nano adstante mensae inter copreas, cur Paconius majestatis reus tam diu viveret: statim quidem petulantiam linguae objurgasse; ceterum post paucos dies scripsisse senatui, ut de poena Paconi quam primum statueret."

Navali terrestribusque pugnis, ad quas capitis damnati captivique usurpabantur, quorum mors populo gaudio, Domitianus usque ad finem interfuit tanto studio, ut inter maximos imbres perspectaret. Haec e Suetonio [2]), qui de ceteris spectatoribus ne verbum quidem dicit, certa sunt, sed secundum Dionem [3]) non modo fere omnes, qui pugnaverant, mortui sunt sed etiam ex spectatoribus multi, propterea quod maximo imbri et vehementi tempestate coortis nemini Domitianus permisit ex spectaculis abire et quamquam ipse lacernas mutavit, tamen ceteros nihil mutare passus est, qua re non pauci in graves morbos inciderunt et *mortui sunt*. Opus fere non est, eas calumnias refutari, quae certe provenerunt ab iis, qui tales historias ex vita Divi Claudii [4]) meminerant, quamque — Suetonio tacente — epitomator bis et fere iisdem verbis narrat. Fortasse etiam moris fuit, non cedere loco, quamdiu Caesar cum comitibus adessent.

[1]) Suet. *Tib*: 61. [2]) Suet. *Dom.* 4. [3]) LXVII, 8. Cf. Stahr *Agripp:* 137, 139. [4]) Tac: *Ann.* XII, 56, 57.

Edidit Domitianus ludos seculares, primum sub Augusto, a quo et tunc ratio computata est, anno 737 p. u. celebratos. „Iisque" Tacitus ait, „intentius adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor, quod non jactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum" [1]).

In illis circensium die, quo facilius centum missus peragerentur singulos a septenis spatiis ad quina corripuit [2]), ut centum curricula deinceps e carceribus emitterentur ob centum seculi annos, quum viginti quinque missus alias de more essent.

Quinquennale certamen artium liberalium, a Nerone [3]) institutum, Domitianus revocatum vovit Jovi Capitolino triplex, musicum, equestre, gymnicum et aliquanto plurium quam solebat coronarum: certabant enim et prosa oratione Graece Latineque; ac praeter citharoedos chorocitharistae et psilocitharistae. Cui certamini praesedit Domitianus crepidatus, purpureaque amictus toga Graecanica, capite gestans coronam auream cum Jovis, Junonis Minervaeque effigie assidentibus Diale sacerdote et collegio Flavialium pari habitu, nisi quod in illorum coronis inerat et ipsius imago [4]). Inter eos, qui certabant, erant Statius, filius Domitiani praeceptoris, Valerius Flaccus, qui Argonautica, Vespasiano dedicata, Silius Italicus, qui secundum bellum Punicum recitabat et Quinctilianus, oratoriis operibus clarus. In Albano tales ludos, Quinquatriorum Minervae nomine Athenis repetitos, annuos fuisse non apparet e Dionis verbis, quae sunt *κατ' ἔτος, ὡς εἰπεῖν*. Eadem in illis acta sunt, quae in Panathenaeis eorumque cura collegio virorum mandata fuit, qui sorte ducti magisterio fungentes eximias venationes scenicosque ludos et oratorum ac poetarum certamina ederent, quibus ludis

[1]) *Ann.* XI 11. [2]) Suet, *Dom.* 4 [3]) Suet. *Nero* 12. [4]) Suet *Dom.* 4.

praeter epula dona Caesar populo fecit parvulis sphaeris. Septimontiali quidem sacro senatui equitibusque panariis, plebei sportellis cum obsonio distributis Caesar initium vescendi primus fecit dieque proximo omnis generis missilia sparsit, et quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronunciavit [1]); sportulas vero publicas sustulit revocata rectarum coenarum consuetudine. Kalendis Januariis in Albano Iuvenalia a Nerone instituta fiebant, quibuscum venationes conjunctae erant. Verum nobiles viros unquam coactos in illis cum feris pugnasse non credo Dioni, quia apud ipsum indicatum est, Glabrionem consulem, prius quam Domitianus eum ad id opus evocaverit, sponte cum bestiis pugnasse, quam certam mortis causam Suetonius affert, et quia pugnat cum Caecilii Rufini poena, quaestorii viri, quem Domitianus senatu movit, quod gesticulandi saltandique studio teneretur. Quaestoriis muneribus olim omissis, tum revocatis ita semper interfuit Domitianus, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi eaque novissima aulico apparatu induceret [2]).

Anno fere 844 p. u. Domitianus primoribus senatorii et equestris ordinis coenam dedit, quam Martialis elato animo celebravit et pro qua Statius Imperatori carmine grates egit. E Dione autem comperimus, convivium illud tale fuisse, ut miremur, nobiles viros non statim conatos esse, quod aulici quidam quinto anno post fecerunt. Ad coenam enim tristissimam et horribilem speciem praebentem rumor divulgavit, posteriori certe tempore natus, Domitianum primores civitatis evocasse in aedem ab omnibus partibus atram, cujus atra laquearia, parietes, pavimentum, sedes nudae;

[1]) Suet. *Nero* 16, *Dom.* 4. [2]) Suet. *Dom.* 8, Dio LXVII, 13.
[3]) Dio l. l. 9. Stat. Sylv. IV. 2, Mart. VIII, 50.

singulos de nocte et sine comitibus accessivisse, introductos ad columnam, uniuscujusque nomine inscriptam, collocasse nihilo nisi lychnucho addito, ita ut omnia aspectum sepulchri et monumenti praeberent. Elegantes pueri nudi itemque nigri, quasi spectra, iis horribili saltatione circumpalantur seque ad pedes eorum projiciunt; postea epulae ferales eaeque in vasis atris offeruntur, ut nemo convocatorum alia sentiret atque se interfectum iri. Nam et Domitianus tantum sermonem inferebat de rebus, quae ad mortem vel ad caedes pertinerent. Tandem famulis eorum dimissis eos vehiculis et lecticis ferendos tradidit, et quum vix domum revertissent respirarentque, Caesaris nuntii varia dona afferebant e vasis, quibus mortem timentes usi erant maximi pretii, quae cum ipsis pueris, qui iis timorem injecerant, pro muneribus oblata sunt. Ex quo fonte rumor, pro embolio in Dionis historiis inclusus, triumphalium, quae celebrata essent in gratiam eorum, qui in Dacia aut Romae ceciderint, prodiit, Dio indicavit verbis: „ὥς γε ὁ ὅμιλος ἔλεγε," et fabula ficta et ornata posterioribus annis videtur ad exemplar caedis alicujus, a Tito per proditionem commissae [1]).

Ejusdemmodi argumentum est Juvenalis satyrae quartae, effusissimae in ludificando calumniandoque, quod non magis quam Dionis fabula ab ullo scriptore rerum confirmatur, et ob quas nugas relatas Stahrius [2]) hanc acerbam sententiam de Juvenale edidit: „Der mit Lust in dem Schmutz der verruchten Traditionen der Römischen Gesellschaft dieser Zeit wühlende Satiriker." Minus quam in aliis rebus sibi Merivalius consentiens est hac de re [3]).

[1]) Cf. Frotzheim *Neue Jahrb: für Philol. und Paedag:* 1874 p. 204: Neglegentia et incuria certare potest Dio cum Suetonio (Cf Karsten de fide Taciti pag. 8), et Suetonius quam neglegentissime opera sua composuit. Suet. *Tit.* 6. „A. Caecinam in convivium adhibuit et vixdum triclinio egressum confodi jussit." [2]) *Agripp.* pag. 65,66. [3]) *Hist. of the Rom.* VII. 397, 400.

„The incident about to be related is not to be regarded as a myth invented in later times to realize the popular idea of Domitian's moody humour. Though narrated by a professed satyrist, we are expressly told to consider it as a veritable history, and we are bound, I think, to accept it as al least true in the main." Nam rebus narratis pergit. „Such is the *outline* of a story, which Juvenal has embellished with his happiest sallies, abounding with illustrations of character and manners. *Could we believe* in its literal truth, we might regard it perhaps as the most curious domestic anecdote of antiquity: but if it be no more than a sport of wit, and a bold satirical invention, it has still its value as a lively representation of *the genius of the times*." Et ut saepius Merivalio e repetitione rerum, quae narrantur, dubium movetur veritatis, sic etiam de hac satyra observat: „The reader will remember the Minerva's shield of Vitellius, and suspect perhaps that this story, notwithstanding the mock gravity of the author's disclaimer, is fancifully combined from the tradition of the one emperor's gluttony, and the grim humour of the other."

Timeo, ne Merivalius, vir summo ingenio doctrinaeque copia, nimis aestimet versus primos alterius satirae partis. „Incipe, Calliope,... non est cantandum, res vera agitur", quae pars, certe post annum 96 p. C. composita, addita est satirae, non ad finem deductae, de Crispino quodam, in quem poeta omnia crimina eorum, qui peregrini Romae viverent, quorumque audaciam atque luxuriam Iuvenalis acerbissime castigat, cumulavit. Quo facto versibus:

> Quales tunc epulas ipsum gluttasse putamus
> Induperatorem.....

poeta enarrat, quae opera, quos sumptus Caesar in coenas fecisset; quod, quamquam longe afuit a Domitiani moribus,

confirmat re, quae per se satis rumorem sapit. Piscator scilicet quidam ingentem rhombum ante Veneris aedem prope Anconam captum destinavit Caesari, sive sponte, sive coactus ab inquisitoribus aut delatoribus in litore vagantibus. Pisci ad Caesarem allato defuit patina, quamobrem statim proceres evocantur, concilium Domitiani, in Albanum et undecim viri senatorii a poeta describuntur, inter quos pessimus quisque.

Sententiae stultissimae et insulsissimae illis senibus adscriptae sunt. Tandem Montani, Promethei in rebus culinariis, sententia vicit, ut scilicet nova patina fieret et proinde figuli nonnulli Caesaris castra sequerentur.

In nulla satira Juvenalem tam credulum aut iniquum cognovimus, quam in quarta, in cujus fine eum potius de Nerone quam de Domitiano scripsisse putes, quum nullo pacto probare nobis possit, Domitianum periisse, „postquam cerdonibus coepit esse timendus.” Tum principis imago evanescit prae comitum imaginibus magisque insaniam illius quam malignitatem poeta significat contra testimonia Suetonii aliorumque, e quibus constat Domitianum, natura neque crudelem neque insanum fuisse, sed robustum atque iracundum, alienum certe a garrulitate illius consilii. Satis solidis argumentis Beulejus[1]) absolvit Domitianum insaniae. Sed tam insaniae quam crudelitatis accusationem sine argumento esse, res, de qua capite insequenti agemus, docet.

[1]) *Titus et sa dynastie.* p. 281. „Si Domitien avait eu 22 ans, comme jadis Caligula, ou 17 ans comme Néron, s' il avait été le jouet de ses min i stres, de ses maîtresses ou de la folie, on concevrait que son âme sans consistance et inexpérimentée eût fléchi sous le fardeau; mais il avait 31 ans en montant sur le trône, il avait été éprouvé par la prauvreté et les vicissitudes les plus opposées, il n'avait point de ministres, il aimait les femmes sans leur accorder de crédit, et pendant quatre ans, il s'était redressé lui même avec une vigueur qui devait rassurer sur sa maturité. Dans ces conditions, on ne devient un tyran à 35 ans que par un accident, puisqu'on a échappé aux causes générales de corruption qui entourent le pouvoir absolu”.

X.

DE DOMITIANI JUSTITIA.

Ne verbo quidem Dio quidquam memorat, de Domitiani jurisdictione, in qua nihil non excelsum et magnificum est, sed quae sub Vespasiano Titoque adeo neglecta fuerat, ut nunquam de fuerint, qui iis adversarentur, quamquam Suetonius [1]) et Aurelius Victor[2]), qui eum secutus est, inter se consentiunt, illum jus diligenter, industrie et aequissime dixisse. Nam, ut daret exemplar praetoribus, quibus jam Reipublicae temporibus jurisdictio mandata erat, plerumque in foro pro tribunali extra ordinem centumvirorum sententias, saepe studiosius dictas ad favorem comparandum eorum, quibus judicio consulebantur, rescidit itemque recuperatores, quibus sub Nerone causae eorum, qui aerario aliquid deberent, ut aliae causae pecuniariae privatorum accesserant, admonuit, ne se occuparent iis litibus, quibus dominis jus in servos fraude vel dolo denegaretur. Exemplum dedit reddendo Claudium Pacatum probatum servum, quamquam centurio fuit, domino ejus. Judices nummis corruptos quemque cum toto consilio judicum, qui in eadem causa sedissent, ut ejusdem culpae reos

1) *Dom.* 8. 2) *Ep.* XI.

vel parum circumspectos in eligendis et observandis collegis nota censoria affecit. Auctor et tribunis plebi fuit aedilem quendam sordidum, qui per avaritiam pecuniam aliqua de causa accepisset, repetundarum accusandi judicesque in eum a senatu petendi [1]).

In ipsos senatores severitate censoria usus Caecilium Rufum senatu movit, quod gesticulandi saltandique studio teneretur. Magistratibus quoque urbanis praesidibusque provinciarum tantum curae adhibuit, ut neque modestiores neque justiores unquam exstiterint, e quibus plerique post eum rei omnium criminum fuerunt. Provincialium vero conditio tam bona fuit, ut Apollonii Tyanensis invidiam moverit, qui ad imperatorem scripsit: „*Βαρβάρων ἀφεκτέον καὶ οὐκ ἀρκτέον αὐτῶν, οὐ γάρ θέμις αὐτοὺς βαρβάρους ὄντας εὖ πάσχειν* [2]).“ Domitianus autem, recte perspiciens, Italiam Romamque provinciis niti, in quibus probi magistratus plus possent quam duces cum copiis, illis maxime profuit curatorum avaritia compressa. Inter minores res, quae cives docerent suum quemque ordinem tenere, Suetonius [3]) numerat licentiam theatralem promiscue in Equite spectandi cohibitam.

Scripta famosa, quae, celatis auctorum nominibus edita, primarios viros nobilissimasve feminas notabant et saepius, ut historia docet, coercebantur, Domitianus abolevit non sine scriptorum ignominia. Quos vero libellos et codicillos saepe pro fontibus ad historiarum libros conscribendos fuisse cum viris me multo doctioribus affirmare ausim. Exemplum audaciae exstat apud Tacitum [4]) carminum, quae, incertis auctoribus edita, ipsum Tiberium ineuntem principatum tangebant ob saevitiam superbiamque ejus et discordem cum matre

[1]) SUET. *Dom.* 8. [2]) PHILOSTR. *Apollonii Epist.* 21. [3]) *Dom.* 8: cf. MART. V, 8, 23, 24, 25. [4]) TAC. *Ann.* I, 72.

animum. Probrosis feminis lecticae usum ademit jusque capiendi legata hereditatesque [1]). Adulterii convictas non paucas fuisse, Dio docet — sed non sine obtrectatione Domitiani — verbis „συχνοὶ δὲ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες τῶν πλουσίων ἐπὶ μοιχείᾳ ἐκολάσθησαν, ὧν ἔνιαι καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐμοιχεύθησαν [2])." Ex consuetudine sua Dio aut is, cujus verba legimus, dicit, post hoc quoque factum multos occisos aut multatos esse ob alias causas. Sed tam levis hic scriptor est in caedibus memorandis, ut etiam Neroni caedes adscripserit intra laudatissimum ejus spatium quinquennale [3]). Equitem Romanum e judicum albo Domitianus erasit ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissae adulterii crimen intenderat et, ut utriusque sexus mores in melius verterentur, quosdam lege Scantinia, quae nimis diu in oblivione jacuerat, de nefanda Venere, mulctas imponente iis, qui stupra cum masculis egissent, condemnavit. Sic Saturni aetatem rediisse credas poetae, canenti [4]).

„Censor maxime principumque princeps,
Cum tot jam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot deos, tot urbes,
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

Domitianus vixit modo Caesare digno et fuit, ab ignavia et fraude alienissimus, diu exemplum liberalitatis, largitionum, abstinentiae, quas etiam ab iis, qui in aula erant, postulabat. Abstinebat, si quidem liberi aderant, ab hereditatibus accipiendis, quibus imperatores magnas divitias cumulaverant, idemque irritum fecit legatum e testamento Ruscii Caepionis, qui caverat, ut quotannis ingredientibus curiam senatoribus certam summam viritim heres praestaret [5]).

[1]) Suet. *Dom.* 8. [2]) Dio LXVII, 12. [3]) Dio LXI, 19.
[4]) Mart. VI, 4 [5]) Suet. *Dom.* 9.

Universos, quorum nomina ante quinquennium proximum ob aes alienum ad judices delata erant quique apud aerarium pependerant, re nondum dijudicata discrimine liberavit, solvendo ipse debita nec repeti nisi intra annum eaque conditione permisit, ut accusatori, qui causam non teneret, exilium poena esset, qua re calumniandi materiam valde minuebat. Item fiscales calumnias sive calumniosas delationes, ad commodum fisci principis factas, repressit delatoresque magnis poenis affecit, praesertim servos in dominos agentes. Notum est Domitiani dictum. „Princeps qui delatores non castigat, irritat" [1]).

Plerique enim delatores erant homines pecuniosi qui, opibus potentissimi et pessimum morem delationum exercentes, quotiescunque repressi toties redibant. Titus jam cogitaverat de iis opprimendis, quo facto non minus quam Domitianus senatui odiosus factus erat. Contra principi, praesertim absenti, invidiam civium magno usui fuisse, Tacitus docet exemplo Tiberii Caesaris, qui quum Cornutus reus mortem sibi conscisset, tamen accusatoribus praemia danda censuit [2]). Et saepius alium modum fuisse non puto inveniendi eos, qui contra omne jus et fas testamenta aut hereditates venabantur, provincias spoliabant, tutelis curatelisve ditescere conabantur, quam ut Caesares delatores adhiberent, quibus, quum nobili genere essent, aditus ad ditissimas domus patebat quique pauperes facti praemiis delationum se restituere volebant. Omnium autem delatorum nequissimum Tacitus et Plinius aequalem suum, Aquilium Regulum, dicunt, qui, sub Nerone juvenis adeo et nullo modo coactus, multas bonas familias perdidit et sic saepius magnum lucrum fecit. Alii, quos Domitianus, quo primo die in senatum venit, cognovit delatores, erant Sariolenus Vocula, Nonius

[1]) Suet. *Dom.* 9. [2]) Tac. *Ann.* IV, 30.

Attianus, Cestius Severus, Paccius Africanus, qui Vibium Crispum societate criminis accusabat, Marcellus Eprius, amicus Crispi, in quem Helvidius Priscus invectus est. Unde puto, Crispum postea Helvidii causae minime favisse. Domitianum delatores per dissimulationem avertisse, historici tradiderunt et de moribus fictis cogitaverunt propterea, quod, vitam plerumque in Albano degens, quum omnia solus observare non posset, ad eos recidit eodem modo, quo sub Tiberii finem imperii, delatores ejecti redierant. Atqui perspicitur, quantopere delatio fuerit necessaria, e Plinii epistola [1]) ad Cornelium Ursum, quocum is communicat, se defensionem Julii Bassi suscepisse, qui, initio amicus Domitiano, postea ab eo in exilium missus, sub Nerva, sicut antea sub Vespasiano, Bithyniae praefectus quum revertisset, a delatorum conspiratione accusabatur, quod in provincia lucrum minime honestum fecisset. Plinius primas partes suscepit, contendens, illum hominem simplicem atque incautum, (quem nemo existimet hominem „laboribus atque adversis suis," ut paullo post dicitur, „clarum") quaedam munera a provincialibus ut amicum accepisse, quanquam lex hoc etiam vetaret. Illius igitur injuriae causam Plinius, qui in Panegyrico [2]) queritur de delatoribus, dixit, quod non sub Domitiano ausus fuisset, sub sene Nerva aurea libertate renata quid cuique libuerit faciendi.

Ut curatores provinciarum, qui male honestum lucrum faciebant, cohiberet, Domitianus revocabat antiquam Reipublicae liberae legem Clodiam, quae dicitur, qua vetitum, ne praesides provinciarum fenus exercerent neve negotiarentur quaeque valuisse videtur in quaestorios scribas, quos, quum saepissime ex mala consuetudine in eam peccarent, Domitianus venia in praeteritum donavit.

[1]) IV. 9. [2]) § 34, 35.

Ne plures causae agerentur, quam quae necessariae essent, eas partes, quae divisis per veteranos agris superfuerunt et de quarum possessione controversiae intercedere solebant, iis concessit, qui per biennium aut diutius eas possedissent [1]). Itaque Domitianus legibus edictisque de imperio Romano optime meritus est, sed aequales ejus gravem disciplinam pati nolebant et potentiores cives offendit eo, quod nimia severitate in omnes sine ulla indulgentia justitiam exercebat. Unde factum est, ut omnes fere, qui Domitiani res composuerunt, virtutes principis viri celaverint.

[1]) cf. Suet. *Dom.* 9.

XI.

PHILOSOPHORUM ET CHRISTIANORUM SECTAE SUB DOMITIANO.

Inter eos, qui maxime a principe dissentiebant, erant philosophi et Christiani, qui primo jam seculo Romae ecclesias habebant quorumque doctrina Caesari certe nota erat, nam constat, unum e Flaviis ad eos conversum esse [1]). Sed Domitianus peritissimus rei bellicae, scientia politica praeditus, justitiam agens paganorumque virtutes easdem atque Christianorum cognoscens esse, neque jus neque fas putabat, civibus concedere, ut suum quisque deum coleret. Cultu deorum, qui per omnia secula in honore erant, conservatis moribus priscis et vetustatis sanctitate commendatis et externorum adminiculorum ope, societatem contineri arbitrabatur contra novam religionem, professam, se vetera vincula disrupturam et postulantem, ut omnes antiquos Italiae deos proderent, in quorum numerum ipsi imperatores post mortem referebantur. Itaque ad multitudinis intellegentiam et voluntatem se accommodans, Isidis et Cybeles cultum Domitianus Romae confirmavit [2]).

[1]) Cf. Rudolf Seijerlen, *Entstehung der Christlichen Kirche.* Tübingen, 1874. [2]) Stat. *Sylv.* III, 2, 110.

Inter Christrianos multi erant, qui libertatem promissam vivis putabant affore, auctusque est eorum numerus Iudaeis Romae agentibus, quorum sub Iuliis viginti millia in Urbe vivebant cum quatuor synagogis. Semper cum incolis Palaestinae conjuncti erant, et, quum divulgatum esset, Messiam adesse, eorum animi vehementissime turbabantur. Edicta, ut contra astrologos, sic et contra Iudaeorum cultum, quo magis superstitiosum aut pluribus mysteriis mixtum Romani nullum noverant, (quod testantur Tacitus[1]) et Iustinus, qui de nulla alia re tantas nugas tamque puerilia conscripserunt) in desuetudinem abibant. Tacitum non semper optimos et fide dignos fontes adisse ad res componendas jam inde patet, quod Justinus res nonnullas cum veris rebus magis convenientes narrat. Sed perspicue Philostratus[2]) docet, quam invisi illis diebus Judaei Romanis essent: *ἐκεῖνοι μὲν γὰρ πάλαι ἀφεστᾶσιν οὐ μόνον Ῥωμαίων ἀλλὰ καὶ πάντων ἀνθρώπων. οἱ γὰρ βίον ἄμικτον εὑρόντες καὶ οἷς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνθρώποις τράπεζα, μήτε σπονδαὶ, μήτε εὐχαὶ, μήτε θύσιαι, πλέον ἀφεστᾶσι ἡμῶν ἢ Σοῦσα καὶ Βάκτρα καὶ οἱ ὑπὲρ ταῦτα Ἰνδοί. οὐκοῦν οὐδ' εἰκὸς ἦ τιμωρεῖσθαι τοὺς ἀφισταμένους, οὓς βέλτιον ἦν μηδὲ κτᾶσθαι.* Sed tamen melioribus Judaeorum in familias optimas Romanorum aditus patebat, quum pauperes illius gentis mercatura occuparentur, quumque patria carerent in nova terra tuti securique vivebant. Sed quum Titus crudelissime de Palaestina egisset, ut scriptores rerum Judaicarum non sine summo dolore tradiderunt, Berenicen, Romam allatam, ut uxorem imperatore populi Romani indignam, repudiasset[3]), Jesus praedicasset[4]), se non venisse, ut tolleret leges

[1]) *Hist.* V. 1—13. Justin. XXXVI. 2, 3 cf. Merivale *Hist. of the Rom.* p. 214. Res Judaeorum solae ad recusandam omnem fidem gravissimi Taciti in libris ejus de Historiis sufficiunt. Vide Strabo, (ed. Tauchnitz.) XVI, 2. p. 761, 762. [2]) *Vit. Apollonii* V, 33. [3]) Dio LXVI, 15. [4]) Cf. Baur, *Kirchengeschichte der drei ersten Jahrhunderte.*

atque instituta Mosis Profetarumque, signum veteris foederis initio omnibus valeret, plurima pars Judaeorum Christianorum cultum assumpsit. Unde factum est, ut scriptores Romani illos saepius mutent cum his et pro iisdem habeant. Domitianus autem, quum neque vectigalia, ab Vespasiano imposita, neque edicta Judaeos et Christianos eo ducerent, ut antiquos deos colerent, majore cum vi vectigalia expressit, viros nobiles, qui eos tuebantur, in exilium misit.

Philosophus et novator religionum illo fere tempore fuit magicus Pythagoraeus, qui Sami sapientis instar vita instituta in provinciis Orientalibus multos sibi vinxerat miraculis, auguriis, portentis. In templis praecipue sermones habebat et nullum locum omittere solebat, qui memoriam dei aut summi cujusdam viri servabat. Multa ejus facta eadem aut similia sunt Jesu factis; conscientiam bonorum et malorum magistram et ducem esse praedicabat. Ex codicillis unius e comitibus, qui semper circum eum erant, Philostratus illius viri vitam composuit. Prudentissimos vero comitum ad principes gentesque emisit Apollonius, qui iis consilia praeceptaque agendi darent. Ipse opera, quam navavit rebus publicis, insignis fuit et sub Nerone saepius contra tyrannum in Graecia agens, homines incitavit neque minus audax Romae, de Galba, de Othone aut de Vitellio sententias suas edixit et, gloriatus Vindicem sua opera a Nerone defecisse, Nervam contra Domitianum sollicitavit. Quam ob rem reum factum laesae majestatis et propter nonnullas alias res Domitianus eum ad se arcessivit. Philosophos enim propter conjurationem, Caesari indicatam, profugos et timidos collegerat in Smyrnaea Silva et sibi conscius, ut dicebat, se immortalem fore Nervamque mox imperium adepturum, ad aeneam statuam eos hortatus Domitianum illuserat. „O stulte, qui non videas fatum atque necessitatem! Quem enim occi-

dere statuisti, is reviviscet, etiam si occideris". Solationi Apollonio fuit inter mala philosophorum, quod Telesinus [1]), consul anno 819 sub Nerone, eundem locum apud Domitianum habebat, qui cum Demetrio, amico Pythagoraei, omnia communicabat, et nullo timore perterritus, Apollonius periculum adiens sperabat, se aequo Marte (ξυνῷ Ἐνυαλίῳ) cum Caesare dimicaturum. In vincula conjectus professus est, se Caesari non iratum esse, sed se illum vituperaturum de omnibus rebus. Sexto fere die scriba mane, quum vocaret, eum confirmavit *πρὸς τὸ δίστροπον τοῦ προσώπου. φθέγγεται μὲν γὰρ βαρὺ κἂν πράως διαλέγηται. ἡ δ'ὀφρὺς ἐπίκειται τῷ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἤθει. μεστὴ δ'ἡ παρειά χολῆς* [2]).

Apollonius, (*ὁ δαίμων*), interrogatus de conjuratione, Domitiani animum irritabat, Nervam quique cum illo essent dicens optimos esse viros, item Rufum et Orfitum, sed delatos propter divitias. Tum Caesarem contendentem, se de conjuratione atque de omnibus rebus eo pertinentibus certiorem esse factum, vituperatus est, quod e delatis non e visis sententiam diceret. Quo dicto princeps iratus finem fecit colloquii.

Nonnulli ferebant, Apollonium per epistolam Ionice scriptam orasse, ne vinculis teneretur. Sed Philostratus, qui multa dicendo quod deest gravitatis compensat, narrat, eum ligatum in carcere mansisse, Damidi per portenta ostendisse, se mox liberum fore et Aeliani jussu in custodiam liberiorem deductum, apud Domitianum dixisse. Illi rei intererant nobilissimi viri civitatis, qui eum accusabant propter vestitum singularem, propterea, quod se deum vocari passus erat, quod Ephesiis calamitatem pestis praedixerat et ad conjurationem sanciendam puerum immolaverat. Criminibus absolutus, Caesari grates egit, sed hominibus improbis, qui aderant, causas adscripsit interitus urbium, exilii bonorum, ignaviae

[1]) Tac. *Ann.* XVI, 14. [2]) Philostr. *Vit. Apollonii* VII. 28.

militum, conciliorum suspectorum et animo adversus mortem invicto: Mitte, ait, si me capere vis, qui corpus capiat, animam enim non potes, sed ne corpus quidem: οὐ γάρ με κτενέεις ἐπεὶ οὔτοι μόρσιμός εἰμι[1]). Quibus dictis evanuit Domitiano gaudente, quod eum non interfecisset. Sed oratione, quam reliquit, defensoria increpat adulatorum Principis audaciam, avaritiam, luxuriam, adulteria; demonstrat, se nullo modo male fecisse, optimeque meritum esse de Vespasiano, voluntate egregia fuisse in imperatorem. Multa egit de philosophia vera et de falsa, de gestis suis in provinciis, obtestatus, se Nervam nunquam ad novas res incitasse et de sacris humanis falso delatum esse.

Cum Apollonii Tyanensis rebus, quem nemo non reum putat criminum indicatorum, cohaerent res philosophorum, quorum principes illis diebus Stoici, cui sectae potentissimi et opulentissimi viri se adjunxerant. Quid illi Romae egerint, docet Apollonius [2]), qui roganti Tito de quodam „τίς ἡ σοφία τοῦ ἀνδρὸς τούτου"; respondit: παρρησία καὶ τὸ ἀληθεύειν, ἐκπλήττεσθαι δὲ ὑπὸ μηδενός, ἐστὶ γὰρ τοῦ Κυνικοῦ κράτους.

His et multis aliis argumentis Merivalius [3]) nisus dixit: „Philosophy, during the last century, had been a school of political opposition, and though the common voice of the unlettered populace hailed the Flavian empire as a blessing, the men of ideas and theories refused, at least for one generation, to descend from the heights of their inpracticable dogmatism, and acknowledge the sovereignity of a mild autocrate as the sole refuge from anarchy and barbarism. The temple of Peace was consecrated in the year 828; but the alliance it was intended to cement between the prince

[1]) Philostr. *Vit. Apollon.* VIII. 8 [2]) Ibid. VI, 32 Quantas controversias et dissensiones Philostratus de Apollonio concoxerit, Eusebius Pamphilus demonstravit in libro πρὸς τὰ ὑπὸ Φιλοστράτου.... cet.
[3]) *Hist of the Romans* VII, 276.

and the philosophers was quickly broken by intrigues against the chief of the state, which could be too surely traced to men of character and influence." Quamquam Vespasianus, ut Merivalii verbis utar, „long bore with this unprincipled opposition, which distressed and mortified him", neque fortis erat, ut Nero, qui cogere potuit, tamen Muciano auctore professores cynicarum sectarum ejecit. Verum sensim exules reverterunt auxeruntque vires et, quo contra Caesarem firmiores essent, astrologos sibi socios adsciverunt eosque, quibuscum desiderium libertatis commune habebant. Quare illis occurrere, Domitiano necesse fuit, ne quando ipsum imperatorem cedere cogerent [1]).

[1]) Mommsen scripsit *Hermes* III, 85. (Cf Naber, *Gids* 1869.) „Die ganze Verfolgung traf die politische Opposition, insofern sie in der Litteratur und auf dem Katheder ihren Ausdruck fand und während die nahmhaftesten Schriftsteller und Lehrer criminell bestraft wurden, wies die Regierung die grosse Masse derselben aus der Hauptstadt aus."

XII.

BELLUM CIVILE.

Factionibus domesticis imperatori adversariis bellum civile accessit, quod sine dubio ad annum 93 p. c. referendum est [1]), Romae ludis post Dacicos triumphos vixdum finitis copiis dispersis. L. Antonius Saturninus, usus Domitiani difficili conditione, dominationem affectabat. Fuit nobiliore loco quam Flavii natus, elato animo et nondum aetate provectus; praefuit Germaniae ulteriori, provinciae latissimae et copiosissimae. Ejus superbiam novimus e Martiale [2]).

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes
Et Saturninum te pudet esse, miser,
Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariae conjugis arma tulit.
Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus et Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis
Qui tibi collatus, perfide, Caesar, erat.

Ambitiosus ille dux initium tumultus fecit eo, quod mili-

1) Suet. *Dom.* 6. Imhoff, *Tit. Flav. Dom.* p. 64. Ex ejus enumeratione inde ab anno 93 tempora, quae dicuntur, saevitiae coeperunt. Sed p. 73 idem ad annum 84 retulit initia illorum temporum. 2) IV, 11.

tes jussit, se imperatorem vocare, quae res Domitianum ejusque amicos quam maxime angebat. Milites enim jam insueverant sibi imperatores et tumultuario judicio facere et item facile mutare. Sic antea Lucium Vindicem et postea ipsum Severum, cum senatus jam Julianum dixisset principem, imperatores fecerunt atque ista res bella civilia sevit, „quibus necesse fuit militem contra hostem paratum parricidialiter perire" [1]). Ex epitome Aurelii Victoris causa belli apparet fuisse maxime injuria verborum, qua se scortum vocari dolebat Antonius. Suetonius fere tacet de bello civili Antonii, quod et ab aequalibus et ab posterioribus maximi aestimatum et causa habita est mutatorum Domitiani morum, Propter hoc silentium Flavius Vopiscus [2]) illum auctorem corripit. Sed et Dio, cui non ut Suetonio proprium fuit brevitatem amare, eas res leviter transiit.

Ubi primum Domitianus de tumultu certior factus est misit Appium Norbanum, qui mira felicitate Antonium oppressit et devicit, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias inhibuisset, antequam Domitianus, quosdam nobiles viros pro obsidibus et majorem exercitus partem secum ducens, advenisset. Victoriam non difficilem fuisse, lepide observavit Xiphilinus, siquidem et multi alii victoria praeter spem potiti sunt et milites una cum eo certavere [3]). Alii narrabant, deos ipsos victoriam prope flumen praesagiis Caesari portendisse, siquidem ipso dimicationis die statuam ejus Romae insignis aquila circumplexa pinnis clangores laetissimos edidit paulloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput quoque ejus apportatum vidisse se plerique contenderent. Ex portentis et rumoribus, quae sub finem Flaviorum item atque

[1]) Ael. Lamprid. *Alex. Sever.* 1. Ael. Spart. *Pesc. Niger* 9.
[2]) *Firmus* 1. [3]) Dio LXVII, 11.

sub initium eorum principatus, divulgabantur elucet, quantus timor civium fuerit et est operae pretium, Plutarchi verba hac de re et semper in rebus Caesarum observanda, adhibere.

Ὅτε γὰρ Ἀντώνιος ἀπέστη Δομετιανοῦ καὶ πολὺς πόλεμος ἀπὸ Γερμανίας προσεδοκᾶτο τῆς Ῥώμης ταραττομένης ἄφνω καὶ αὐτομάτως ὁ δῆμος ἐξ αὑτοῦ φήμην ἀνέδωκε νίκης καὶ τὴν Ῥώμην ἐπέδραμε λόγος αὐτόν τε τὸν Ἀντώνιον ἀνῃρῆσθαι καὶ τοῦ σὺν αὐτῷ στρατεύματος ἡττημένου μηδὲν μέρος λελεῖφθαι. Τοσαύτην δὲ λαμπρότητα καὶ ῥύμην ἡ πίστις εἶχεν ὥστε καὶ θῦσαι τῶν ἐν τέλει πολλούς. Ζητουμένου δὲ τοῦ πρώτου φράσαντος, ὡς οὐδεὶς ἦν, ἀλλ' ὁ λόγος εἰς ἄλλον ἐξ ἄλλου διωκόμενος ἀνέφευγε καὶ τέλος καταδὺς ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τὸν ἄπειρον ὄχλον ἐφάνη μηδεμίαν ἀρχὴν ἔχων βέβαιον, αὕτη μὲν ἡ φήμη ταχὺ τῆς πόλεως ἐξερρύη. πορευομένῳ δὲ τῷ Δομετιανῷ μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὸν πόλεμον ἤδη καθ' ὁδὸν ἀγγέλια καὶ γράμματα φράζοντα τὴν νίκην ἀπήντησεν. Ἡ δ'αὐτοῦ τοῦ κατορθώματος ἡμέρα καὶ τῆς φήμη· ἐγίγνετο ἐπὶ πλέον ἢ δισμυρίους σταδίους τῶν τόπων διεστώτων. Ταῦτα μὲν οὐδεὶς ἀγνοεῖ τῶν καθ' ἡμᾶς [1]).

Ne iterum duces novas res agerent, Domitianus victoria reportata vetuit, ne in hibernis duae legiones in eadem castra coirent neve, quum in principiis milites certam stipendii partem atque pecuniae e donativis acceptae deponere solerent, quod L. Antonius fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videretur, apud duarum legionum hiberna plus quam mille nummi a quoque ad signa deponerentur; militibus vero stipendia augebantur [2]). Optime se gessit post victoriam Norbanus, qui stabat a domino Caesare cujusque sancta fides et abstinentia Fabricio digna non caruerunt laudibus aequalium. [3]) Suo enim periculo neglecto omnes litteras in arcis Antonii repertas combussit, ut multi, qui latebant, poenis et calumniis liberarentur [4]). Domitianum hanc ob rem Norba-

[1]) *Aemil.* 25. [2]) Suet. *Dom.* 7. [3]) Mart. IX, 84. [4]) Dio LXVII. 11. Aur. Victor *Ep.* XII.

num non minoris aestimasse docent documenta, epistolae Plinii [1]) ad Trajanum addita: „Archippum philosophum bonum virum et professioni suae etiam moribus respondentem commendatum habeas velim, *mi Maxime*, et plenam ei humanitatem praestes in iis quae verecunde a te desideraverit". Eandem Caesaris clementiam aperiet epistola proxima: „Flavius Archippus philosophus impetravit a me, ut agrum ei DC circa Prusiadem patriam suam emi juberem, cujus reditu suos alere posset, quod ei praestare volo; summam expensam liberalitati meae feres".

Num agnoscis crudelem, saevum immanemque tyrannum, odii plenum in philosophos, qualem scriptores tradiderunt? At in documentis plus veri inest, quam in omnibus narrationibus et rumoribus, a Suetonio aut a Dione relatis. Verum crimina conjuratorum neglegi Domitianus non passus est. Nam omnis ejus fides labare coeperat civibus, qui cum hoste conjurati, non agnoscentes, quanto melior status Reipublicae sub illo quam sub prioribus principibus esset, proinde omnes coërceri debebant et scriptis Antonii combustis reos alio modo perquiri necesse fuit. Itaque Domitianus *ἀφορμῆς ἐντεῦθεν εὐπορήσας ἐπὶ τοὺς φόνους καὶ τῶν γραμμάτων χωρὶς ὁρμήσας οὐδ'ἀν εἴποι τις ὅσους ἀπέκτεινεν* [2]). Ne memoria crudelitatis suae atque saevitiae exstaret, vetuit Domitianus in acta publica nomina damnatorum referre. Senatu excluso ipse poenas de iis sumsit. Quam vero rem a Xiphilino inter fragmenta servatam, quoniam satis memorabilem alius scriptor non affirmavit, quoniam verba *οὐδ'ἂν εἴποι τις ὅσους* dubium movent, et narratio tanquam capita interfectorum, ut Antonii, Romam missa et pro rostris exposita fuerint, produnt fontem, qualem gravis Plutarchus designavit, negamus. Suetonius, qui nullam earum rerum novisse videtur, tantum in modis, quibus damnati poenas luebant,

[1]) X, 58. (ed. Teubner.) pag. 217, 218. [2]) Dio LXVII, 11.

saevitiam Domitiani demonstrat et magis in specie atque forma judiciorum quam in causis caedium mores Domitiani mutatos indicat [1]). „Verum, ait, aliquanto post civilis belli victoriam saevior plerosque partis adversae, dum etiam latentes conscios investigat, *novo quaestionis genere* distorsit, immisso per obscoena igne; nonnullis et manus amputavit". Et Aurelius Victor [2]), colore multo atrióre Domitianum depingens, assensus est Suetonio. „Antonii acie per Norbanum strato Domitianus longe tetrior in omne hominum genus, etiam in suos ferarum more grassatus est". Unde animadvertas, quomodo scriptores rerum se superent in Caesaris moribus describendis post bellum civile Antonii.

Tanta diligentia Domitianus conjuratos perquisivit, ut secundum Dionem [3]) unus, secundum Suetonium [4]) duo poenas effugerint. De uno certa mentio fit et Suetonio minor fides est verbis *satis constat* rem inducenti nominibus non additis. E notioribus igitur duo fuerunt tribunus laticlavius, Iulius Calvaster et centurio quidam, qui se, quo facilius expertes culpae ostenderent, impudicos probaverant. Unde agnoscimus prudentem Domitianum, qui confessos se muliebria passos, neque apud ducem neque apud milites ullius momenti futuros, honori vitam praeferentes impunitos siverit.

Ex eo, quod Domitianus ad bellum profectus obsides secum duxit, fabula nata est, Lucianum Proculum, quem senatorem ruri degentem se sequi jussisset, ut, si videretur se in periculis deserere, morte afficeretur, non prius dimissum esse, quam nuntio de victoria allato senex Caesarem gratulatus sit eumque, licet longo tempore vixerit, non amplius ad Domitianum revertisse. Quem rumorem referre Dio non infra dignitatem historiae duxit, sed quam, nisi ficta est, difformatam quandam rem esse puto.

[1]) *Dom.* 10. [2]) *Ep.* XII. In Vita Caes: de bello civili tacet [3]) LXVII, 11.
[4]) *Dom.* 10.

Universa illa tempora miseriarum plena fuisse et principis saevitiae civium malignitatem accessisse, qui acubus veneno oblitis alii alios pungerent, qua ex re multi ne sentientes quidem mortui, alii delati supplicio affecti sint, non solum Romae, sed per totum orbem terrarum, Dio memorat [1]. Veneficiorum vero crimina, quum saepius cum aliis malis publicis conjuncta inveniantur idemque sceleris genus sub Commodo commissum legamus, non dubito, quin hoc factum ex illius historiis a Xiphilino ad Domitiani tempora translatum sit.

[1]) 11.

XIII.

DOMITIANI RES POST BELLUM CIVILE.

Multi Senatores interque eos aliquot consulares, conscii belli civilis comperti, sibi mortem consciverunt, alii jussu imperatoris expulsi, alii interfecti sunt, quorum principes Suetonius enumerat [1]).

Civica Çerealis, Asiae proconsul, in ipso magistratu propter res novas occisus est, qua nece Tacitus significat nec Agricolae consilium defuisse, nec Domitiano exemplum [2]).

Salvidienus Orfitus, unus e philosophis, qui profitebantur, *Ῥωμαίοις τὸ δημοκρατεῖσθαι πολλοῦ ἄξιον καὶ πολλὰ τῶν ὄντων αὐτοῖς ἐπ' ἐκείνης τῆς πολιτείας ἐκτήθη* [3]). Fuit cum Nerva, qui tum Tarentum relegatus, et cum Rufo, qui cum aliis ejusmodi viris in insulas missus est, quorum causam Apollonius, qui *ἀφίσιη τοὺς ἄνδρας καὶ ὑπὲρ τῶν απάντων ἐλευθερίας ἐρρώννυ*, apud Domitianum dixit [4]).

Acilius Glabrio, qui cum Trajano [5]) consul fuerat, utrique, quorum varia sors evenit ex iisdem auguriis, nam ejusdem rebellionis rei ille postea imperator factus, hic, in exilium

[1]) Suet. *Dom.* 10. [2]) Tac. *Agr.* 42. [3]) Phil. *Vit. Apollonii* V, 33. [4]) Dio LXVII 12, *Vit. Apollonii* VII, 8. Victor *Caes.* XII. [5]) Trajanus Domitiano nec adversarius nec ingratus fuit. Cf. Plin. *Pan.* c. 14 s. f.

missus, interfectus est. Causa Glabrionis necis odium Domitiani fuisse dicitur, quod Glabrio, coactus cum leone pugnare nullo modo vulneratus leonem occidisset. Sed Glabrionem antea *in publico sponte* cum feris pugnasse et Dio, ex quo hanc causam necis descripsimus, et Juvenalis docent versus [1]):

> Profuit ergo nihil misero, quod comminus ursos
> Figebat Numidas, Albana nudus harena
> Venator. *Quis enim jam non intellegat artes*
> *Patricias?* Quis priscum illud miratur acumen,
> Brute, tuum? facile est barbato imponere regi.

Juvenalis igitur magis illudit Glabrionis fraudem ignaviter susceptam, quam dolet juvenem indignum, quem mors tam saeva maneret estque illius imago intemperantis et voluptuosi juvenis.

His omnibus interitus aut exilia non injuria accidisse, Suetonius indicat virorumque, quos nominavimus, poenas et res, ut paullo ante bellum civile Antonii actas, cum illo cohaesisse, e rerum nexu patet. Sed et miserorum virorum fata, quos quamvis levissima quemque de causa interemtos Suetonius dixit, siquidem diligentius causas cognoscimus nobisque conditio Caesaris atque Reipublicae status ante oculos obversantur, ab illis saepius provocata fuisse, apparebit. Eorum virorum primus fuit Aelius Lamia, cujus juvenis Domitianus uxorem duxerat, unde suspiciosi quidam joci contra ipsos imperatores Titum et Domitianum orti sunt. Tito enim post discidium hortato eum ad alterum matrimonium respondit μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις [2]). Quae verba nemo inter-

[1]) *Sat.* IV, 99. [2]) SUET. *Dom.* 10. (ed. Baumg. Crus.) MARCILIUS explicat: „Num et tu aliam uxorem ducere vis, ex qua filiam suscipias, quam frater tuus violet? „Recentiores explicant. Num tibi etiam desiderium uxoris ducendae" aut „num tu etiam ad matrimonium me hortaris, ut fratris tui exemplo uxorem mihi abducas?" Potior autem est simplicissima sententia editorum Baumgarteni-Crusii: „Quin ipse duc uxorem, ut filii tibi nascantur heredes."

pretum pro levi joco accepit, et quae invidiosissima Domitiano merito ejus odium excitarunt. Alio tempore laudanti Caesari vocem suam verbo εὐτακτῶ significavit, se, cui uxoris usus ereptus esset, histrionum modo conservandae vocis causa omni libidine abstinuisse, quo facto memoriam veteris Domitiani commissi renovavit. Non dubium exstat, quin hic se adjunxerit adversariis principis, quoniam a Suetonio in illorum serie numeratur, neque putemus, frigidos tantum innoxiosque jocos causas necis fuisse, quod Domitianus non usque ad finem fere imperii cunctatus esset mulctare acerba ejus dicta.

Salvius Coccejanus, filius Salvii Titiani, fratris Othonis, qui supremo ejus vitae die apud Titianum fuerat, quem is prima juventa trepidum et moerentem ultro solatus est laudando pietatem ejus, castigando formidinem [1]). Sed nunquam vir oblitus esse videtur, quae juvenem patruus monuerat: μήτ' ἐπιλαθέσθαι ἄγαν, μήτ' ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχεν [2]). Domitiano adversatus tempore turbulento memoriam juriam celebrando ejus diem natalem, redintegravit, quam inpatrui, non immerito Domitianus ultus est.

Mettius Pomposianus ob ejusmodi crimen, sed aliquanto gravius cecidit. Vir nobilitate et antiquitate generis Flaviis praestabat, forma et statura corporis Domitianum superabat, quibus rebus paullo vanior erat, antiquarum historiarum rerumque politicarum peritus, opibus et divitiis potentissimus inter amicos, undique conquisitos, propugnator Stoicorum erat. Et fuit κουφολόγον οἱ σοφισταὶ χρῆμα καὶ ἀλαζὼν ἡ τεχνή καὶ ἐπεὶ μηδὲν χρῆστον τοῦ εἶναι ἀπολαύουσι, θανάτου γλίχονται καὶ οὐ περιμένουσιν αὐτοῦ τὸ αὐτόματον ἀλλ' ἐπισπῶνται τὸν θάνατον ἐκκαλούμενοι τοὺς ἔχοντας ξίφη [3]) Neque unquam Pomposianum invenimus ullam rem in publicum commodum agentem, neque quid de eo memorabile est, nisi animus

[1]) Tac. *Hist.* II 48 [2]) Plut. *Otho* 16. [3]) Phil. *Vit. Apollon.* VII, 16.

ejus imperatoribus adversus. Jam sub Vespasiano oculos hominum in se verterat, quod vulgo credebatur genesin habere imperatoriam, sed debili quadam bonitate, securus principatus, Vespasianus imprudenter ei pepercit dicensque πάντως μου μνημονεύσει καὶ πάντως με ἀντιτιμήσει consulem creavit [1]). Sed spes imperatorem fefellit. Mettius enim juvantibus astrologis et Stoicis potentissimus civis erat et principatui infestissimus; depictum orbem terrarum concionesque regum ac ducum, e Titi Livii libris repetitas, circumferebat, servis homo stultissimus nomina Magonis et Hannibalis indiderat, quales res Caesar ei concedere non potuit. Qui igitur illum in Cyrnum relegavit, ubi (auctor est Dio) ob alias quoque causas necatus est. De relegatione Suetonius nihil memorat, sed ejus mortem conjungit cum Salustii Luculli morte, Britanniae legati, e gente nobili ditique. Cecidisse Lucullum Suetonius dicit ob commissum, quam nulli homini persuadebit causam mortis fuisse, scilicet „quod lanceas novae formae Luculleas appellari passus esset." [2])

Curiatius Maternus interiit cum majore damno factionis, cujus ille audacissimus erat [3]). Jurisconsultus peritissimus saepius causas dixerat, sed mox ad tragoedias componendas se vertens, in unam fabulam Catonem, priscorum optimatium clarissimum, civitatis liberae propugnatorem, induxerat, quo facto Maternus famam adeptus est, offendisse potentium animos, tanquam eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset, qua de re per urbem frequens sermo habebatur. Quod in Catone inchoaverat continuabat in Thyesta et in Medea, quanquam tot amicorum causae, tot coloniarum, tot municipiorum clientelae eum in forum vocabant, quibus vix suffecerit, etiam si non novum negotium sibi sus-

[1]) Dio LXVII. 12. [2]) Suet. *Dom.* 10. [3]) Tac. *d. Oratore*, 2 sqq.

cepisset. Sed maluit contra Caesarem stare, quam ut apud eum aut apud judices pro miseris diceret, non quod id infra se putaret, verum quod laedendo summos viros hominum mentes atque oculos ad se verteret. Sophistarum scholae praefuit, ubi junioribus saepe dabat causas agendas, quae libertatis amorem excitarent aut confirmarent, ut de tyranno et de tyrannide. Talem autem Maternum e Taciti libris cognovimus, qualem Domitiano, cui cedere moris non erat, capite poenas luere debebat.

Lucius Junius Arulenus Rusticus ab iisdem stetit et de eo deque ejus socio locus est celebratus Taciti [1]: „Legimus, quum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur." Suetonius [2]) fortasse minus accurate uni Rustico duorum virorum crimina tribuit, quem occisum narrat, quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset eosque appellasset sanctissimos viros. Dio [3]) eum adnumerat philosophis eique hoc ipsum crimini fuisse dicit; tum Herennium refert diutissime post quaesturam viventem nullum magistratum petisse et Helvidii Prisci vitam conscripsisse. Quae nuda facta certe lectoribus misericordiam movebunt, sed quicunque Helvidii Prisci res anteactas legerit minorem fidem habebit Taciti libro de Agricola. Imo Merivalio [4]) assentietur: „But again I must repeat that Tacitus too often makes himself the mouthpiece of senatorian prejudices." Juvenis enim Rusticus [5]) fuit, qui; „cupidine laudis flagrans, offerebat se intercessurum senatusconsulto, nam plebi tribunus erat. Cohibuit spiritus ejus Thrasea, ne vana et reo

[1]) Tac. *Agr.* 2. [2]) *Dom.* 10. [3]) LXVII, 13. [4]) *Hist. of the Rom.* VII, pag. 291. Cf. pag. 404. [5]) Tac. *Ann.* XVI, 26. Cf. *Hist.* III, 80

non profutura, intercessori exitiosa inciperet; sibi actam aetatem et tot per annos continuum vitae ordinem non descendum: illi initium magistratuum et integra quae supersint. Multum ante secum expenderet, quod tali in tempore capessendae Reipublicae iter ingrederetur." Provectiori aetate se non secrevit a Republica et Flaviis Romam appropinquantibus missus est Rusticus inter legatos, qui Petilio Cereali occurrerent, „et extremum discrimen adiens aspernante milite condiciones pacis vulneratus est praetor Arulenus Rusticus. Auxit invidiam super violatum legati praetorisque nomen propria dignatio viri" neque negarim, jam tum Rustici amicorumque animos Flaviis adversos fuisse. A Plinio [1]) non minoris aestimatus est Rusticus quam a Tacito, quo duce et amico usus est Plinius, qui Rustici fratre Junio Maurico relegato ejus filiam derelictam tuebatur. Tantopere Stoicorum sectae deditus fuit Arulenus et tam industrie eorum verba et gestus imitatus est, ut Stoicus cognomine sit appellatus, quod etiam in inscriptione reperitur et quamobrem M. Regulus, infamis delator e Flaviorum temporibus, ei invidiose illudit [2]). Regulus, qui sub Domitiano non minora flagitia commiserat quam sub Nerone, sed tectiora, Rustico periculum injecit et exsultavit morte ejus, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur atque etiam Stoicorum simiam appellat, adjicitque Vitelliana cicatrice stigmosum. Plinius postea Regulum tetigit, reminiscens, quam capitaliter ipsum apud Centumviros lacessisset, deditque negotium, ut Regulus in exilium mitteretur, item ut iste effecerat, ut unus e Plinii familiaribus Metius Modestus a Domitiano relegatus esset, quae sors et acciderat Maurico, Gratillae, Fanniae Arriae ipsique Plinio impenderat [3]).

[1]) *Ep.* I. 14. [2]) *Ibid.* I. 5. [3]) *Ibid.* III. 11.

Herennii Senecionis, quem item Regulus laceraverat et Fanniae, Thraseae filiae, Helvidii uxoris, res cohaerent cum rebus Aruleni Rustici. Fannia [1]) bis maritum secuta est in exilium, tertio ipsa propter maritum relegata Senecionem rogaverat, ut de vita Helvidii libros componeret et cum ille reus esset ob hanc causam minaciterque quaesisset Metius Carus, delator, a Fannia „an rogasset”, „rogavi illa” respondit, an commentarios scripturo dedisset „dedi”, „an sçiente matre”, „nesciente”; postremo nullam vocem cedentem periculo emisit. Quin etiam illos ipsos libros, quamquam ex necessitate et metu temporum abolitos, senatusconsulto publicatis bonis servavit, habuit tulitque in exilium exilii causam. Ita mulieres non secus atque viri imperatoribus molestias exhibebant. Causam Senecionis mortis fuisse, quod post Baeticae quaesturam abstinuerit ab honoribus ut Stoico indignis petendis Dio retulit [2]).

Helvidius Priscus, filius Stoici notissimi, e Vespasiani temporibus adversatus est Caesari clam palam. Patris principiis de Republica gerenda initiatus, quasi scenico exodio sub personis Paridis et Oenones imperatoris divortium, quod multis annis ante fuerat, taxavit et temporibus turbidis memoriam rei multo ante actae renovavit, quam ob causam justam poenam luit. Defensore laudibusque non caruit. „Tu mihi bonum animum facis” Plinius Genitori suo scripsit, [3]) „qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers, quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac paene furiosum), sed tamen imitarer et sequerer, quantum aut diversitas ingeniorum maximi et minimi aut causae dissimilitudo pateretur.” In senatu quoque Plinius vehementissime dixit et extra ordinem referens de

[1]) *Ibid.* VII 19. [2]) LXVII, 13 [3]) Ep VII. 30.

accusatione Publii Certi, qui multis cum asseclis praecipuus auctor Helvidii poenae capitalis fuerat.

Nulla epistola ad cognoscendum rerum statum brevi post Domitiani mortem aptior est, quam qua propositum scribendae Helvidii ultionis Plinius [1]) communicavit cum Quadrato suo, simulque ex ea perspicuum est, quanto cum odio in principes ab avunculo ei relicto, quanto cum studio partium vir nobilissimus et magnae auctoritatis epistolas suas scripserit, e quibus posteriores libros suos componerent. Tacuit vero Plinius Domitiano, quam maxime necessarium fuisse, viros, de quibus expulsis queritur, removeri, neque abstinuit a mentitis, quum scriberet „dicendi magistris nullum honorem fuisse, sapientiae nullam dignationem, non spiritum, non sanguinem, non patriam studiis, quae temporum immanitas exiliis puniert, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegasset" [2]). Nam constat, inter doctissimos viros philosophos molestissimos exstitisse, principem vero bonis artibus favisse quam maxime [3]).

Christianorum, quos ob similes causas atque philosophos et adversarios politicos Domitianus persecutus est, clarissimus fuit Flavius Clemens, [4]) quem virum etsi patruelem, morte punivit cujusque uxorem Domitillam, suam consanguineam in Pandateriam relegavit: illato ambobus crimine impietatis in deos ut plures, qui ad Judaeorum aut Christianorum, in quorum numero Flavium Clementem constat fuisse, mores aberraverant, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Flavium Clementem, fratrem Flavii Sabini, quorum pater Flavius, frater major Vespasiani fuerat, Suetonius dicit virum contemtissimae inertiae, quod plane convenit cum mori-

[1]) IX. 13. [2]) *Pan.* 47. De nonnullis philosophis non ejectis Cf. *Ep.* III. 11. [3]) Cf. de Neronis principiis de singulari imperio Stahr *Agripp.* 285. [4]) Dio LXVII 14. Suet. *Dom.* 15.

bus priorum Christianorum, qui ab omnibus honoribus petendis magistratibusque gerendis abstinebant. Dio scribens, fortasse quo factum tristius exponeret, Clementem ὑπατεύοντα interfectum esse, discrepat a Suetonio, qui narrat illum necatum „tantum non in ipso consulatu". Nam nihil moror Philostrati verba ad testimonium affirmandum Dionis, cujus neglegentia eo perspicua, quod scripsit ᾧ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐξεδώκει [1]). Nemo unquam Caesari tantum debuit, quantum Clemens, cujus ille filios parvulos adeo successores palam destinaverat quorumque abolitis nominibus alterum Vespasianum alterum Domitianum appellari jusserat [2]). Quum vero Clemens et gratia et moribus plurimum posset, et a paganis et ab iis, qui nuper conversi erant, maximi aestimatus esset, facile credimus iis, qui scripserunt, Domitianum sibi maxime ex illius nece exitium maturasse.

[1]) *Vit. Apollonii.* VIII 25. [2]) Quint. *Inst. Or.* IV praef.

XIV.

IMPERII ATQUE VITAE DOMITIANI EXTREMUS ANNUS.

Post mortem Clementis, pagani et Christiani certasse videntur divulgandis rumoribus, portentis, oraculis, nam nulla hora certa, omnia imperatori adversa esse coeperunt [1]). Continuis octo mensibus tot fulgura facta nuntiataque sunt, ut tandem Domitianus exlamarit: „Feriat jam quem volet." Tacta de coelo Capitolium, templum Flaviae gentis, domus Palatina et cubiculum Caesaris; e basi statuae triumphalis titulus excussus vi procellae in monumentum proximum decidit. Ex arbore, quae privato Vespasiano eversa surrexerat, tunc rursus repente corruit, astrologi, qui Domitianum, quadraginta quinque annos natum, orbum viderent, praedicabant, mox gentem Flaviam excisuram. Alii a Deo O. M., alii ab antiquis diis putabant, Domitianum vindicatum iri ob interitus tot virorum nobilium. Inde alios rumores Dio, alios Suetonius narrat, in paucis tantum inter se consentientes [2]). Domitianum scilicet somniasse, Minervam, quam deam semper summa

[1]) Cf. Tac. *Hist.* II, 1, de Galba. [2]) Dio LXVII, 16. Suet. *Dom.* 14, 15.

religione coluerat, ex sacrario egressam arma abjecisse, curru nigris equis vectam in barathrum se praecipitasse ultra se eum posse tueri negantem, quod a Iove exarmata esset. Dio auctor est, Domitianum etiam somniasse Rusticum, quem interfici jussisset, se cum gladio aggressum esse.

Omittentes omnia dicta notabilia, a Suetonio multis annis post Domitiani mortem accepta, e quibus mortem praesensisse videbatur, causas necis exquiramus ex historiis traditis sed paullo latentes. Satis enim digna, quae notentur, sunt responsum et casus mathematici Ascletarionis, quem delatum nec infitiatum se jactasse, quae prospexisset ex arte, sciscitavit Caesar, qui ipsum maneret exitus; et affirmantem, fore ut brevi laceraretur a canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime jussit: *ἐκελεύσθη μὲν ζῶν κατακαυθῆναι καὶ τὸ πῦρ αὐτῷ προσήχθη. ὑετοῦ δὲ ἐν τούτῳ πολλοῦ καταρρυέντος ἥ τε πυρὰ ἐσβέσθη. καὶ ἐκεῖνον κύνες ὀπίσω τὼ χεῖρε δεδεμένον καὶ ἐπικείμενον ἐπ᾽ αὐτῆς εὑρόντες διεσπάραξαν* [1]). Cui fabulae Suetonius — nam tacet Xiphilinus et id, quod sequitur, et nomen astrologi — addit, Domitiano coenanti mimum Latinum, qui forte praeteriens animadvertisset, eam rem retulisse inter ceteras diei fabulas. Felicior fuit Larginus Proculus in Germania praedicens eodem die, quo vita excessit Caesar, eum obiturum, quamobrem a provinciae praeside Romam missus est. Tum ad Domitianum deductus et interrogatus idem pronunciavit et de fulgure consultus, mutationem rerum praedicens, condemnatus est. *Ἀνεβλήθη τε ὅπως διαφυγόντος αὐτοῦ τὸν κίνδυνον ἀποθανῇ κἂν τούτῳ τοῦ Δομιτιάνου σφαγέντος ἐσώθη καὶ δέκα μυριάδας δραχμῶν παρὰ τοῦ Νερούα ἔλαβεν* [2]). Nerva igitur praemium dedit viro, quem curator provinciae

[1]) Dio LXVII 16. [2]) *Ibid.* 1. l.

miserat, ut Domitiano interitum praediceret et, quum multi non ausi sint, Nerva molem rerum suscepit.

Quis diutius dubitabit credere conjurationi philosophorum, astrologorum et nobilium quorundam [1]? Confirmant hanc conjecturam philosophorum ex illis diebus praecepta, anxietas Domitiani, de qua nos Suetonius certiores facit et qua eo ductus est, ut ne domesticis quidem ullam fidem habuerit et porticuum, in quibus spatiari assuesset, parietes lapide phengite distingui jusserit, quo splendore, quidquid a tergo fieret, videret, nisi forte Suetonius erravit et ad causas rerum non altius penetrans metui adscripsit, cujus rei luxuria causa fuit; sed maxime, quod Domitianus sciens, plerosque imperatores Romanos interfectos esse, diceret: „Conditionem principum miserrimam esse, quibus de conjuratione comperta non crederetur, nisi occisis" [2]. Postremo Apollonius, (res vera, etsi millies se credere, quis neget) ipsis hora et die caedis editum sacrum sive Ephesi, sive alibi, conscendit et multitudine hominum convocata exclamavit: „Recte vero Stephane, bene Stephane, percute hominem" [3]. Quae res, quum ars e tam longinquo loco conspicandi non esset, ostendit, horam et dies caedis a familiaribus cum viro divino communicatas esse [4].

Breviter Xiphilinus necem Domitiani narrat. Postquam scilicet die 18 mensis Septembri de tribunali surrexit, voluitque, ut sueverat, paullum requiescere, primum Parthenius gladii, qui sub ejus pulvinar semper jacebat, ferrum exemit, ne imperator uteretur; mox robustissimum Stephanum intromisit, qui ei vulnus inflixit, sed non mortale et ipse a Domitiano humi prostratus est; tum Parthenius irrupit, aut secundum scriptores

[1]) Inter nobiles fuit e. g. P. Juventius Celsus, Jurisconsultus. Cf. MOMMSEN *Hermes* l. c. 49. [2]) SUET. *Dom.* 14. DIO LXVII 13, 15. VICTOR *Ep.* XI, *de Caes.* XI. PLIN. *Pan.* § 49. Lapis ille nuper sub Nerone in Cappadocia repertus erat. [3]) PLIN. *Paneg.* § 53 et 54. [4]) PHIL. *Vit. Apollonii.* VIII, 26. DIO LXVII, 18.

alios intromisit Maximum, libertinum suum, quum Domitianus perisset et una cum eo Stephanus, accurrentibus, qui non conjuraverant. Quae res non impugnat opinionem, paucos illos aulicos corruptos fuisse ab iis viris, quos diximus. Sed post caedem commissam invenerunt et divulgarunt fabulam, qua facinus defenderent, quum domestici non sua causa dominum occidissent, tanquam puer tabellam nominibus inscriptis eorum, quos Caesar damnasset, invenisset conjuratamque ob amorem Paridis cruciatus metuentem et Domitillam fuisse. Qua re nullam vidi insaniorem, quum secundum Dionem Paris jam decem duodecimve annos mortuus esset et uxor tunc revocata conjugi mortuo etiam statuam erexerit [1]). Praeterea ovum ovo non similius est, quam huic narrationi narratio de imperatoris Commodi morte [2]).

Quum senatus de morte Domitiani satis certus esset, cadaver ejus gladiatoris modo populari sandapila per vespillones efferri jussit, quod Phyllis nutrix furata in suburbano suo Latina via funeravit; reliquias templo Flaviae gentis clam inclusit cineribusque Juliae Titi commiscuit. Sed in vulgo Nerva jam imperium adepto rumor ortus est, principem dilectissimum revixisse militesque vindicatis nonnullis interfectoribus vix sedati sunt. Ea pars populi gavisa est de morte Domitiani, quae inviderct saluti publicae, provinciis florentibus, neque pati voluit, sua commoda prae salute universae civitatis minui.

[1]) Procop. *Hist. arcan.* (ed. Dind.) 8, p. 56. [2]) Apud Dionem LXXII, 22, Herodian. I, 16, 17 et Lamprid. *Commod.* 17 multae res aliorum imperatorum, Domitiani rebus similes, leguntur.

APPENDIX.

Brevi post caedem Domitiani Tacitus laudes edidit soceri sui, qui liber fere solus fons omnium rerum est, quas de Agricola novimus. Jam hoc suspicionem movet, senis imaginem vera multo pulchriorem esse, quod nullus aequalium, Suetonium ut dicam Pliniumve, Tacito amicissimos, ne nomen quidem Agricolae commemoraverint. Tum, quamquam Tacitus affirmat, se „sine ira aut studio" aut „quam verissime" expediturum esse res, tamen ex explorationibus et comparationibus rerum inter se sole clarius factum est, clarissimum illum virum tantum non semper animum suum in rebus scribendis prodidisse et sententias suas rebus gestis sive in bonam sive in malam partem subjecisse. Itaque statum rerum conditionemque virorum nobilium ante oculos habenti in mentem venit, librum de Agricolae vita non solum laudationem soceri esse, sed etiam invectivam in adversarium potentium civium aut irae eruptionem ob repulsam latam [1]). Dio solus pauca de Agricolae rebus gestis narrat additis vero aliis rebus, quae cum Taciti libro non consentiunt quaeque ostendunt, fando audivisse Dionem ea, quae scripserit [2]).

Omnino non magni fuisse imperio Romano Agricolae res gestas, observavit vir illarum rerum arbiter peritissimus,

[1]) Mommsen *Hermes* III p. 88. [2]) LXVI. 20 s. f.

Merivalius [1]). Res enim ab Agricola in Britannia gestae redigendae sunt ad recuperatam insulam Monam, ad disciplinam in exercitum Romanum redactam, ad coercitas gentes nonnullas barbaras; postremo multis cladibus a Romanis atque ab auxiliis acceptis Britannia subacta est. Praeterea, quod reperit, Britanniam insulam esse, id scire imperatoris non intererat, quem quidem docuit, illas terras occupari fere non posse, nisi maximis sumtibus, perpetuis difficultatibus, plurimis copiis, quorum omnium in continenti usus multo major, cum reditus ex illis terris, ut ex ceteris provinciis, exspectandi non essent. Quamobrem Domitianus prudenter egit, revocans Agricolam ab exercitibus Britannicis et illum revocatum post militiam septem annorum injuria crimini vertit Caesari Tacitus. Sed is, plenus amoris civitatis liberae, mente praejudicata [2]) imaginem soceri, sui gentisque suae honoris causa, fulgentem fecit, quo imperatoris obscuraretur, quod apparet e prooemio. Julius Graecinus, Agricolae pater, *adversarius voluntati Gaji Caesaris* occisus est; filius Massiliae hausit philosophiae studium *ultra quam concessum Romano ac senatori:* scilicet sublime ac erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae *vehementius quam caute* appetebat; prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino duce didicit inter ceteras virtutes summam aestimans noscere provinciam, *nosci exercitui, nihil ob formidinem recusare.* Quaestor Asiam adeptus *non petivit* tribunatum plebis neve praeturam, *sed quietem et otium gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit: famae propior* electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, *ne cujus alterius sacrilegium sentiret Respublica quam Neronis.*

[1]) VII, 332. „Nor were the results calmly considered worth the hazard." [2]) Cf. SIEVERS *Studiën zur Röm. Kaisergesch.* p. 86, 87.

De victoriis, quas reportavit, Agricolam non jactantia verborum, „ne laureatis quidem missis" Domitianum certiorem fecisse, Tacitus narrat; illum vero fronte laetum, pectore anxium, (quod quomodo quis noverit, non video) eas accepisse, sibi conscium, nuper triumphum suum e Germania falsum fuisse, sed id variis modis celavisse. Arbitrabatur etiam, gloriam Agricolae summi ducis formidolosam fieri posse, quoniam saepius boni duces majora quam privatis quaesissent. Caesar autem reposuit odium, quod Tacitus ei adscripsit, jussitque senatum omnia, quae triumphantibus ducibus decerni solebant, Agricolae decernere Syriamque provinciam, morte Atilii Rufi consulis, vacuam, illi destinari. Tacitus, qui multa, sed certe non omnia, quae de socero scripsit, ex ipso excepit, nullo modo affirmat, quod plerique credidere, nempe codicillos missos esse ab Caesare, per quos Agricola revocaretur, sed qui non traderentur, quia libertus, qui afferret duci revertenti, provincia quieta tutaque successori jam tradita obviam venerit. Sed pro certo narrat, Caesarem praecepisse, Agricolam, cui honorem statuae illustris ceteraque ornamenta triumphalia concessisset, ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, ut noctu in urbem, noctu in palatium veniret et, quum mos principum esset osculare, quibus favorem significare vellent, illum tantum brevi osculo excepisse et nullo sermone turbae servientium inmiscuisse ducem victorem. E quibus perspicua fuit Tacito simulatio principis gaudiumque fictum ob devictam Britanniae partem. Indicium est: *breve osculum, quo Caesar Agricolam excepit.* Contra ea Tacitus simplicitatem ducis significavit saepissime et, quum paucis annis ante unicum filium amisisset, facile intellegas, senem alienum fuisse a triumphis et ab „gloriationis vanis ostentandis." Item otium, quod senex post multa stipendia petivit, Tacitus ait non libenter eum quaesisse, sed ne Caesari odio esset, quanquam nulla timendi

causa unquam exstitit. Nam quoties pessimum genus inimicorum eum apud Domitianum accusabat, hic eum absolvit.

Supra indicavimus, Agricolae mentionem nisi a Dione non factam esse, quod Tacitus declarat. [1]) „Nam" ait „quaerentibus viso aspectoque Agricola *pauci eum interpretari potuerunt.*" Post vero clades in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia poscebatur „ore vulgi" dux Agricola comparantibus cunctis virtutes ejus cum aliorum vitiis. Aut unum aut alterum: noverunt eum multi et postularunt ducem, aut ignotus fuit et postulari non potuit. Sed Tacitus, qui quandocunque potest, Domitianum castigat, in hisce sui oblitus est et saepius ex orationis ornamentis exque nimia eloquentia animum suum adversum prodit. Obtrectationis exemplum praebent verba: [2]) „Quibus sermonibus *satis constat,* Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimus malignitate et livore *pronum deterioribus* principem exstimulabant. In iis verba *pronum deterioribus* ceteris adhaerent, ut pannus assutus. Talis enim princeps optimum quemque non ad se admittit, nec convenit res cum illo, qui ducem absentem accusatum absolverit. Quomodo apud Plinium omnia Domitiani facinora prae Trajani rebus evanescunt, sic apud Tacitum omnia mala, quae saevus et crudelis ille egerit aut in animum induxerit, prudentia et virtute Agricolae in bonam partem vertuntur. Oblatum proconsulatum Asiae aut Africae abnuit Agricola, quanquam a Caesare rogatus, iramque inde ortam avertit leniitque moderatione sua, non contumacia aut inani jactatione libertatis famam atque fatum provocans. Denique ut doceret lectores Tacitus, quomodo quis saevitiam tyranni evitare posset omnemque dubitationem tolleret eorum, qui non intellegant, quamobrem Domitianus obstantem sibi ducem non interfecerit aut ejecerit,

[1]) Agr. 40. 2) *Ibidem* 41.

addidit haec: [1]) „Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse obsequiumque et modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullam Reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt". Ob res post soceri mortem actas Tacitus Caesari obtrectat exposuitque illum crimina differentem.

Grates habeamus Tacito, quod nobis aperuerit, Dionem rumorem in calumniam principis accepisse et pro re certa tradidisse. Nam quum ille veneficii Caesarem accusat, hic „nobis" ait „nihil comperti affirmare ausim de veneno" et morbo Agricolam diem supremum obiisse, affirmat [2]). Tum Domitianus Agricolam non octavo demum anno post reditum occidisset, si ejus mors ei grata fuisset. At quomodo quis cum Tacito aegre ferat, quidve mali Domitianus fecerit eo, quod per totam valetudinem miserit nuntios visentes libertorum primos et medicorum intimos, supremo quidem die multo frequentius ostenderit, quanti sua interesset Agricolam valere, quod homo aequi judicii aliter quam in favorem Caesaris dijudicare non potest, non perspicio [3]).

Penuriam autem atque egestatem, qua Dio dicit Agricolam vitam post Britanniae expeditionem degisse, ipse invenit. Nam gener loquitur et de hereditate et de heredibus et dicit, Agricolam coheredem fecisse Domitianum, qui ejus mortem dolebat. Sed tam paratus flagellis dandis Tacitus fuit, ut ejus „tam caecam et corruptam mentem assiduis adulationibus fuisse" scripserit, „ut nesciret a bono patre non scribi heredem, nisi malum principem." Postremo omnia, quae Tacitus addidit capiti quadragesimo quarto § 5, nihil ad vitam Agricolae faciunt et non nisi verba, plena invidiae atque livoris in Caesarem sunt.

[1]) *Agr.* 42. [2]) *Ibidem*, 43. Cur Imhoffio placuerit (p. 107), rumori populi a Dione prolato, a Tacito denegato, fidem habere, non perspicio. [3]) Cf. SIEVERS *Studiën*, cet p. 61 de cura Tiberii erga Pisonem morientem.

THESES.

I.

Tacit. Hist. III. 69. „Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium [in Capitolium] accivit". Verba inclusa excidant.

II.

Tacit. Hist. III. 71. „Neque illis (scil. Vitellianis) manus nisi gladiis armatae, et arcessere tormenta aut missilia [tela] longum videbatur". Verbum tela abundat post missilia.

III.

Tacit. Hist. IV. 2. „Nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat". Non solum de impotentia juvenis militum cohibendorum dicta sunt verba „nondum ad curas intentus", sed de universis ejus moribus.

IV.

Quae narrantur in Taciti Annalium II. 9 dubia fide sunt.

V.

Nihil mutandum arbitror in Horat. A.P. 139.

„Parturiunt montes, nascetur parviculus mus."

VI.

Recte se habent verba Horat. A.P. 359.

„Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror, et idem
Indignor quandoque bonus dormitat Homerus".

VII.

Interpungatur post verbum amicum in versu Horat. Sat. I, 4. 81.

Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, ...
. . . .
Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto

VIII.

Sueton. Dom. 8. „Incesta Vestalium virginum, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie ac severe coercuit, priora capitali supplicio, posteriora more veteri". Verba priora et posteriora ad crimina sub Domitiano commissa pertinent.

IX.

Sueton. Octav. 17. Nec multo post navali proelio apud Actium vicit in serum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctarit" Post verbum vicit inserendum censeo ita.

X.

Sueton. Dom. 13. „Neque in reducenda post divortium uxore edicere (dubitavit) revocatam eam in pulvinar suum". Pro verbo edicendi verbum dicere requiro.

XI.

Sueton. Jul Caes. 65. „Ac subinde, observandum se admonens, repente interdiu vel nocte [se] subtrahebat augebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret." Alterum se excidat et pro serius scribendum puto segnius.

XII.

Plin. Epist. IV. 11 § 9. „Quin etiam, cum in illud subterraneum demitteretur haesissetque descendenti stola, vertit se ac recollegit, cumque ei carnifex manum daret, aversata est et resiluit foedumque contactum, quasi plane a casto puroque corpore, novissima sanctitate rejecit." Virgo descendens siluit, non resiluit.

XIII.

Plin. Epist. VII 19 § 6. „Postremo nullam vocem cedentem periculo emisit". Plinius scripsit: edentem.

XIV.

Jul. Caes. B. G. V. 28. Verba uncis inclusa ejiciantur in hisce: „quantasvis [magnas etiam] copias Germanorum sustineri posse munitis hibernis docebant".

XV.

Cicero pro Sestio. § 9. „Qua de causa et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sestio maximas gratias egit". Praepositio apud mutetur in praepositionem post.

XVI.

Juvenalis VI. 371—378. Sordide compositi versus sunt:

Ergo spectatos ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea nec dubie custodem vitis et horti
Provocat a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina, sed tu jam durum, Postume, jamque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.

XVII.

Martial. VI. 19.

Tu Cannas Mithridaticumque bellum
Et perjuria Punici furoris
Et Sullas Mariosque Muciosque
Magna voce sonas manuque tota.

Injuria mutant Cannas in Carras.

XVIII.

Philostr. Vita Apollonii. VI. 3. *Τοιαῦτα διαλεγόμενος καὶ ξυμβούλους τῶν διαλέξεων, ὥσπερ εἰώθει, ποιούμενος τοὺς καιρούς, ἐχώρει ἐπὶ Μέμνονος.* Vitiose ediderunt *καιρούς* pro *ἑταίρους.*

XIX.

Philostr. ibid. VIII. 7. *σὲ μὲν γὰρ ᾤοντο ξυμβούλῳ τῆς ἀκροάσεως ὀργῇ χρήσεσθαι, δι' ἣν κἂν ἀποκτεῖναί με, [ὅ τι ποτέ ἐστι τὸ ἀποκτεῖναι].* Verba uncis inclusa Philostrati non esse puto.

XX.

Plato de Rep. p. 498, A. *ἐν δὲ τῷ ἔπειτα, ἐάν καὶ ἄλλων τοῦτο πραττόντων παρακαλούμενοι ἐθέλωσιν ἀκροαταὶ γίγνεσθαι μεγαλα ἡγοῦνται, πάρεργον οἰόμενοι αὐτὸ δεῖν πράττειν.* Verba *μέγαλα ἡγοῦνται* coalescant in *μεγαλαυχοῦνται.*

XXI.

Plato de Rep. p. 503, B. *τοιαῦτ' ἄττα ἦν τὰ λεγόμενα παρεξιόντος καὶ παρακαλυπτομένου τοῦ λόγου, πεφοβημένου κινεῖν τὸ νῦν παρόν.* Praepositio *παρά* genuinae *περὶ* cedat, ut legatur *περικαλυπτομένου.*

XXII.

Plutarch. Poplic. 15. *Ἅμα γὰρ τῷ τελευτῆσαι Οὐεσπασιανὸν ἐνεπρήσθη τὸ Καπιτώλιον.* Librariorum manibus coaluerunt verba *Οὐεσπασιανοῦ υἱὸν* in unum: *Οὐεσπασιανόν.*

XXIII.

Isocrates Philip. V. 98. *σὲ δὲ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα [τὸ μέγεθος] διαπεπραγμένον.* Inepta sunt *τὸ μέγεθος* post *τηλικαῦτα.*

XXIV.

Isocrates Ibid. XV. 257. *ὃ τοσούτων [τὸ πλῆθος] καὶ τηλικούτων [τὸ μέγεθος] αἴτιόν ἐστιν.* Verba inclusa ad marginem releganda sunt.

XXV.

Lucian. Timon. § 24. *ανω καὶ κάτω πλανῶμαι περινοστῶν.* Graece dicitur *ἄνω κάτω πλανῶμαι;* cetera abundant.

XXVI.

Idem Ibidem. § 3. τηλικαύτη ἐν ἀκαρεῖ χρόνου ναυαγία ἐπὶ τοῦ Δευκαλίωνος ἐγένετο, ὡς ὑποβρυχίων ἁπάντων [καταδεδυκότων] μόγις ἕν τι κιβώτιον περισωθῆναι. Verbum inclusum excidat ut interpretamentum vocis ὑποβρυχίων.

XXVII.

Idem Ikarom. § 2. Ἀλλ' ἐκεῖνά μοι φράσον, εἰ δοκεῖ, τίνα τρόπον ἤρθης [ἄνω] καὶ [ὁ]πόθεν ἐπορίσω κλίμακα τηλικαύτην [τὸ μέγεθος]. Emblematibus indicatis sublatis cetera recte se habebunt.

XXVIII.

Idem Ibidem. § 5. οὕτω δὴ τοὺς ἀρίστους ἐπιλεξάμενος αὐτῶν, ὡς ἐνῆν τεκμήρασθαι προςώπου τὲ σκυθρωπότητι, cet.. Composito ἐκλέγεσθαι in his opus esse censeo.

XXIX.

Idem Ibidem. § 6. μηδὲ ὁπόσοι στάδιοι Μεγαρόθεν Ἀθήναζέ εἰσιν ἀκριβῶς ἐπιστάμενοι. cet. Lucianus usus est verbo Attico ἀκριβοῦν.

XXX.

Idem Ibidem. § 10. τοιγάρτοι ταῦτα ἀκούων ἀπιστεῖν μὲν οὐκ ἐτόλμων ὑψιβρεμέταις τὲ καὶ ἠυγενείοις ἀνδράσιν, οὐ μὴν εἶχόν γε ὅποι τῶν λόγων τραπόμενος ἀνεπίληπτόν τι αὐτῶν εὕροιμι.. cet. Asundeton tollatur scribendo οὐκέτι τολμῶν.

XXXI.

Idem Ibidem. § 11. ἄρας ἀπὸ Πάρνηθος . . . . . ἐπετόμην. Excidat littera ε, ut in κατεπτόμην, quod paullo ante praecedit.

XXXII.

Het δαιμόνιον van Socrates moet niet als een beschermgeest beschouwd worden.

XXXIII.

Het elementair-grammatisch onderwijs in de oude talen worde aan de klasse door een zelfden docent gegeven.

XXXIV.

Het verschil in de schrijfwijzen „baldadig" en „balddadig" behoort te worden opgeheven.